

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Quaestiones Sophocleae**

**Emlein, Friedrich**

**Baden-Baden, 1880**

[urn:nbn:de:bsz:31-304446](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-304446)

OZB 224, Beil.  
1879/80

# QUAESTIONES SOPHOCLEAE.

SCRIPSIT

[Friedrich]

**F. EMLEIN**

Professor.

A 49

~~~~~  
*Beilage zum Programm des Gymnasiums in Baden.*  
~~~~~

Nr. 504.

BADEN-BADEN.

Hofbuchdruckerei von A. v. Hagen.

1880.

QUESTIONES SOPHOCLEAE

F. ELLERIN

02 B 224, Beil. 1880



BADEN-BADEN.

z

Ai. versus 196 sq. in cod. L ita leguntur:

ἐχθρῶν δ' ὕβρις ᾧδ' ἀτάρβητα  
ὄρμᾱτ' ἐν εὐανέμοις βάσσαις  
πάντων καχαζόντων γλώσσαις  
βαρυνάλγητ', ἐμοὶ δ' ἄχος ἔστακεν.

quem locum Dindorf, cum ᾧδε supervacaneum videretur atque ut hiatus ἀτάρβητα ὄρμᾱται evitaret, hoc modo scripsit:

(ἄταν οὐρανίαν φλέγων) ἐχθρῶν δ' ὕβρις  
ἀτάρβητος ὄρμᾱται  
ἐν εὐανέμοις βάσσαις  
ἀπάντων καχαζόντων  
γλώσσαις βαρυναλήτως·  
ἐμοὶ δ' ἄχος ἔστακεν,

eumque secutus est Nauck βαρυνάλγητ' pro βαρυναλήτως restituto et ἄχος in ἄλγος mutato totum locum ita interpretatus: „Anknüpfend an das voraufgehende Bild (ἄταν οὐρανίαν φλέγων) sagt der Chor: während die Flammen des Unheils auflodern, üben die Feinde des Aias ungefährdet ihren Uebermuth ἐν εὐανέμοις βάσσαις, in Thalschluchten, die nicht vom Winde getroffen werden.“

Sed quamquam in antecedentibus οὐρανίαν φλέγων ignis atque flammaram surgentium imago quaedam inest, tamen etiam summa poetica quam dicunt licentia admissa num hoc ferri possit: „Die Feinde des Aias üben ihren Uebermuth in Thalschluchten, die nicht vom Winde getroffen werden?“ magnopere dubito, cum plane sensu carere videatur. (Num omnino εὐάνεμος eam, quam vult Nauck, vim habeat, postea videbimus.)

Quae cum ita sint, iam nostram de hoc loco sententiam exponamus. Atque tum tantum sensu non carere videntur Sophoclis verba, si Aiakis hostium superbia comparatur cum igne, qui ἐν εὐανέμοις βάσσαις nulla re impediēte late vagatur; id quod aliis quoque rebus confirmatur, namque ᾧδε, quod in cod. L post ὕβρις legitur, certe ad comparisonem insequentem spectabat<sup>1)</sup>; deinde autem in scholiis Laur. legimus: „ἐν εὐανέμοις βάσσαις: τουτέστιν ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις, ὅπου τὰ ἐπὶ σοῦ ἀνηρημένα ποιῦντα ὀρῶντες ἐπεγγελαῖσιν“

1) Quod Suidas s. v. ἀταρβήτως ἀπὸ τοῦ ἀνεμίνως παρὰ Σοφοκλεῖ, ἐχθρῶν δ' ὕβρις ἀταρβήτως ὄρμᾱ vocabulum ᾧδε omisit, nullius est momenti, cum eum non ad verbum accurate hunc locum laudare appareat, ἀταρβήτως pro ἀτάρβητα et ὄρμᾱ pro ὄρμᾱται praebentem; quare Dindorfium Suidae auctoritatem respicere in vocabulo ᾧδε eiciendo miror.

ἢ ἐν εὐάνεμοις βήσσαις, οἶον, ἐν εὐδία καιρὸν ἔχοντες διαβάλλουσιν· quam utramque expli-  
cationem ineptam esse apparet. Iam autem sequitur ex vetere ni egregie fallor fonte hau-  
stum hoc: *λείπει: ὡς πῦρ ἐν εὐάνεμοις βάσσαις.* Quibus rebus commotus ὡδε suo loco reti-  
nendum et ignis significationem in textum restituendam censeo, ita ut *πῦρ ὡσπερ* post *ἀτάρ-*  
*βητα* sit inserendum, quibus receptis hiatus quoque inter *ἀτάρβητα* et *ὀρμαῖται* intercedens  
tollitur neque opus est recentiorum librorum coniecturam *ἀτάρβητος* admittere. Totum igitur  
locum hoc modo scripserim:

(ἄταν οὐρανίαν φλέγων) ἐχθρῶν δ' ὕβρις  
ὡδ' ἀτάρβητα, πῦρ ὡσπερ ὀρ-  
μαῖτ' ἐν εὐάνεμοις βάσ-  
σαις ἀπάντων καχαζόντων  
γλώσσαις βαρναλήγῃ·  
ἐμοὶ δ' ἄχος ἔστακεν.

Qui versus, quod ad metrum attinet, non minus cum poetarum tragicorum ratione  
congruere videntur, quam qui apud Dindorfium et Nauckium leguntur (omnino autem in  
epodis metra minus esse certa constat); v. 196—198 enim metrum creticum, v. 199·200  
metrum glyconeum exhibent:

— — — — —  
— — — — —  
— — — — —  
— — — — —  
— — — — —

Sensum autem ut iam accuratius explicemus, Aiakis inimicorum superbia adeo impa-  
vide vagatur et progreditur, ut ignis in saltibus, qui multis (igni secundis) ventis perflantur;  
namque non aëre tranquillo sed ventis adflantibus ignes coelo tenus surgere solent.

Quae si recte se habent, cur contra librorum auctoritatem *βαρναλήγῃ* in *βαρναλήγ-*  
*τως* cum Dindorfio mutemus, esse non videtur, neque magis, cur pro *ἄχος* recipiamus *ἄλγος*,  
quod proposuit Nauck comparans Phil. v. 827, praesertim cum *βαρναλήγῃτα* antecedit. Neque  
in *ὀρμαῖτ' ἐν* elisione quisquam offendi potest, cum eius modi elisiones a scenicis admissas  
esse certissimum sit; cfs. Trach. v. 216: *ἀνείρομ' οὐδ' ἀπόσωμαι.*

Reliquum est, ut de adiectivi *εὐάνεμος* sive *εὐήνεμος* significatione disputemus.  
Nauck enim, ut iam diximus, explicat: „in Thalschluchten, die nicht vom Winde getroffen  
werden. Vgl. Eur. Andr. 749: *χειματος γὰρ ἀγρίου τυχοῦσα λιμένας ἤλθες εἰς εὐάνεμος*  
d. h. *ἀχειμάστους*; wie *εὐοργος* = *μη ὄργον ἔχων*, *εὐκάματος* = *ἀνευ καμάτων ὄν*, *εὐόργητος*  
= *πρῶτος*.“ Id non recte explicatum esse mihi persuasum est, quia Graeci, imprimis Athe-  
nienses, ut qui navigationi et rebus maritimis plurimam operam dederint, adiectivum *εὐάνε-*  
*μος* intellexisse: „ventis carens“ cogitari non possunt, sed potius: „bonos et prosperos ventos  
habens“, ita ut contrarium sit ventis adversis aut procellis vehementissimis. Ad idem fere  
redit Suidae explicatio: *ἀχειμάστος*. Atque in illo ipso, quod Nauck ex Eur. Andr. 749  
attulit, exemplo *λιμένας εὐάνεμος* oppositum est antecedenti *χειματος ἀγρίου*: pervenisti in  
portum secundis ventis perflatum. Quae explicatio in omnibus locis, quibus *εὐάνεμος* adhi-  
bitum repperi, optime se habet: fragm. e Soph. Laocoonte (Dind. 341) *εὐάνεμον λιμένας*  
Theocr. 28. 5 *πλόον εὐάνεμον αἰτεύμεθα*; Eur. fragm. Danaes (Stob. flor. III. p. 70 Mein.)  
*καλὸν δὲ πόντον χειρὶ ἰδεῖν εὐήνεμον*. Heliod. Aethiop. 6. 7. *πᾶν μὲν ἐπὶ πέλαγος εὐροον*  
*καὶ εὐήνεμον παραπέμποντες*.

Sed ne cetera quidem adiectiva cum *εὖ* composita, quae exempli gratia Nauck addidit, ea, quam vult, significatione usurpantur. *εὖογκος* non est *μὴ ὄγκον ἔχων*, sed de eis rebus dicitur, quae iustae sunt molis, non nimiae mole, vel, ut Suidas explicat *εὐβάστακτος* portatu facilis, cfs. Eurip. versum laudatum a Stob. (flor. III. p. 209. 5 Mein.) *εὖογκος εἶναι γαστρί μὴ πληρουμένη*, — *εὐκάματος* non est *ἄνευ καμάτου ὢν*, sed facilem laborem habens, cfs. Eur. Bacch. v. 66: *πόνον ἄδὴν κάματόν τε εὐκάματον* deinde operosus significat: Epigr. Anth. Pal. 1. 10:15 *εὐκαμάτοις ἔργοισιν ἑὸς φαίδρονε τοκῆας*, praeterea de hominibus dictum strenuus, laboriosus. *εὐόρηγτος* postremo non est *πρᾶος*, sed contraria vi eum significat, qui facile irascitur, iracundus est, cfs. Plut. Mor. pag. 413. C: *εὐόρηγτος γὰρ ἐστὶ καὶ οὐ πρᾶος* sed etiam in bonam partem accipi posse docet Hesychius explicans *ὁ τῆ ὀρηγῆ εὐ χρώμενος*.

Ai. v. 257 in libris exstat:

λαμπρᾶς γὰρ ἄτερο στεροπῆς  
ἄξιας ὀξὺς νότος ὡς λήγει κ. τ. λ.

Cur *ἄτερο λαμπρᾶς στεροπῆς* dixerit poeta, intellegere non possum; nam quod in scholiis recentioribus explicatur: *φασὶν οἱ περὶ ταῦτα δεινοὶ ὡς εἰ μὴ τύχοι οὐσα ἀστραπή, ἡγίκα ὁ νότος ἄρξεται πνεῖν, ταχέως πάνετα* nugas esse nemo non videt. Furor Aiacis subito exortus subitoque sublatus cum tempestate comparatur, quae quo vehementius saevit, eo celerius sedatur. Atque cum vehementissimae tempestates magno cum coeli fragore et fulminibus sint coniunctae, mihi quidem dubium non est, quin sensum verbis, quae tradita sunt, contrarium poeta voluerit; itaque scribendum censeo:

λαμπρᾶς γὰρ ἄφαρο στεροπῆς

*ἄφαρο*, continuo, „et inter se cohaerentes et celeriter consecutas res significat“ (Ellendt in lex. Soph.), optime igitur de fulminibus celeriter se subsequentibus dici potest. Sensus autem: sicut vehemens, quae orta est, tempesta splendidorum fulminum celeriter se subsequentium esse desinit.

Ai. v. 133:

τοὺς δὲ σώφρονας  
θεοὶ φιλοῦσι καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς.

Non satis intellegitur, cur *κακός* oppositum sit adiectivo *σώφρων*. Altero Sophoclis loco, ubi haec adiectiva sibi contraria leguntur, fragm. 608 (Dind.)

οὕτω γυναικὸς οὐδὲν ἂν μεῖζον κακὸν  
κακῆς ἀνὴρ κτήσαιτ' ἂν, οὐδὲ σώφρωνος  
κρείσσον

res aliter se habet, quoniam mulier, quae non est *σώφρων*, recte *κακῆ* dici potest. Nostro autem loco Ajax, ut non est *σώφρων*, ita certe *κακός* dici non potest; itaque ego scripserim:

... καὶ στυγοῦσι τοὺς ἄνους.

*ἄνους* nimirum est Ajax, non *κακός*; cfs. in eadem fabula v. 762:

κεῖνος δ' ἀπ' οἴκων εὐθὺς ἐξορμώμενος  
ἄνους καλῶς λέγοντος ἠῤῥέθη πατρός.

Ant. v. 99 in libris ita scriptus est:

τοῦτο δ' ἴσθ', ὅτι  
ἄνους μὲν ἔρχεται, τοῖς φίλοις δ' ὀρθῶς φίλη.

Scholiasta explicat: ἀνοήτως καὶ φιλοκινδύνης πράττεις· εὐνοϊκῶς δὲ τῷ θανάτῳ. Quem sensum Wecklein Bonitzii interpretationem secutus languidum esse dicit, cum Antigonom re vera fratrem amare non necessarium sit ut commemoretur. Accedit autem, ut ea explicatio non cum moribus et ingenio Ismenes congruere videatur, quippe cui se non minus quam Antigonom amare fratrem mortuum persuasum sit. Itaque Wecklein interpretatur: „Dein Unverstand kann meiner schwesterlichen Liebe keinen Eintrag thun.“

Cui nuper F. Kern (N. Jahrbücher 119 (1878) p. 454 sq.) adversatus dicit: „dem gegenüber will mir doch scheinen, dass eine Liebe, welche der Gewalt und der Gefahr trotzt und den Tod nicht scheut, mächtiger ist und wohl von dem bewundert werden kann, in welchem dieselbe Gesinnung nicht zum rücksichtslosen Entschluss wird . . . sagt Ismene die Worte, durch welche sie ihre Schwester thörichter Verblendung zeihet und zugleich deren hochherzigen, todesmuthigen Sinn bewundert, den sie in sich selber nicht findet.“ Non recte Ismenes naturam perspexisse mihi videtur Kern, namque Ismenen minime esse mortis timentem versibus 536 sq., ubi una cum sorore mortem vult oppetere, demonstratur; quam ob rem de admiratione Antigoniae mortem despicientis cogitari non posse apparet; sed, cum Antigona summis animi affectibus sit exagitata, Ismene ea est natura, ut cum tranquillitate, quid fieri possit, quid non, deliberet.

Praeterea ne illud quidem Kernii probari potest, quod p. 453 legitur: „durch das bisher Entwickelte ist nur die Unbedenklichkeit der alten Erklärung bewiesen, die Nothwendigkeit derselben scheint mir daraus zu erhellen, dass Ismene, welche für die Unterlassung der Bestattung Verzeihung von den Unterirdischen erbitten will, die That selbst also durchaus billigt (vgl. 556. 558), nur den Versuch derselben als ungehörig für ein Mädchen, weil unausführbar (v. 90) erklärt, nicht durch die Thorheit . . . in ihrer Liebe zur Schwester wankend gemacht werden kann.“ Ac primum quidem id monendum est, ea verba, quae Ismene, ut particeps culpa esse videatur, coram Creonte facit, ad veram eius sententiam diiudicandam adhiberi non posse; deinde autem quid verba: „welche die That selbst durchaus billigt, nur den Versuch derselben als ungehörig für ein Mädchen, weil unausführbar erklärt“ sibi velint, reperire non possum. Ismene postquam sua (i. e. sororum) opera fratris infelicis corpus contra regis imperium ac voluntatem sepeliri non posse intellexit, sororem quominus id frustra conetur, prohibere studet; cuius Antigoniae conatus fontem esse amorem fratris per se constat neque poetae opus est addere.

Illud autem optimum praebet sensum, cum post antecedentem altercationem maximeque post Antigoniae verba v. 93:

εἰ τὰντα λέξεις, ἐχθαρεῖ μὲν ἐξ ἐμοῦ

Ismene tranquillitate animi non turbata se nihilo minus sororem quamvis insanientem amare confirmat. ἄνους (v. 99) non ad convicia, quibus Antigona sororem affecit, sed ad totum animi habitum illius spectat. Itaque quin Weckleinii interpretatio: „dein Unverstand kann meiner schwesterlichen Liebe keinen Eintrag thun“ sit recta, mihi quidem minime dubium est; sed pro ὀρθῶς aliud vocabulum desidero, quod magis contrarium sit versui 93: ἐχθαρεῖ μὲν ἐξ ἐμοῦ; poeta nescio an scripserit:

τοῖς φίλοις δ' ὅμως φίλη·

ὀρθῶς pro ὅμως fortasse in textum irrepsit ex similitudine Iph. Taur. v. 611:

ὦ λῆμ' ἄριστον, ὡς ἀπ' εὐγενοῦς τινος  
ῥίψης πέφνηκας τοῖς φίλοις τ' ὀρθῶς φίλος.

Kernii i. e. scholastae interpretationi id quoque obstat, quod φίλος apud Sophoclem semper vim: „amatus“, nusquam vim: „amans“ habet.<sup>2)</sup>

Ant. v. 175—77

ἀμήχανον δὲ παντὸς ἀνδρὸς ἐκμαθεῖν  
ψυχὴν τε καὶ φρόνημα καὶ γνώμην, πρὶν ἂν  
ἀρχαῖς τε καὶ νόμοισιν ἐντριβῆς φανῆ.

De ea, quae his inest versibus sententia, recte illud dubitatum esse videtur, cum non omnibus hominibus in imperio mores suos et ingenia demonstrandi occasio praebeatur, num re vera eius tantummodo naturam atque mores perspici posse, qui sit in imperio, Sophocles Creontem dicentem faciat. Sententiarum autem conexus hic est: Creon, qui paulo ante rex est factus, cum, quo modo in civitate sit regnaturus, nondum inter omnes constet, senibus Thebanis convocatis quam rationem atque viam ipse in re publica administranda ingressurus sit, exponit; itaque haec fere eum dicere verisimile est: quoniam fieri non potest, ut omnes hominis cuiusvis naturam penitus cognoverint, priusquam in magistratibus et in imperio sit versatus, vobis, quae sit mea natura explicabo. Kern igitur (l. c. pag. 456) scribendum putat:

ἀμήχανον δὲ παντί τ' ἀνδρὸς κ. τ. λ.

quod mihi minus probatur; propius a vulgata abest, quod ego proposuerim:

ἀμήχανον δὲ πάντας ἀνδρὸς κ. τ. λ.

fieri non potest, ut omnes hominis naturam etc. cognoverint, priusquam etc.

Ant. v. 350 sq.:

λασιανέγνά θ'

ἵππον ἔξεται ἀμφὶ λόφον ζυγὸν κ. τ. λ.

locus est difficillimus, de quo plurimum iam est sudatum. Scholiasta duplici scriptura ἀμφὶ λόφον ζυγὸν et ἀμφίλοφον ζυγὸν explicata addit: καὶ λείπει ἢ ὑπὸ ὑπὸ ζυγὸν ἄγει. Alii codd. pro ἔξεται exhibent ἄξεται.

Verba tradita nec propter metrum, quod, ut versui 340 respondeat, quatuor pedes dactylos continere oportet, nec propter sensum ferri possunt, cum quin ἔξεται falsum sit dubium esse non possit, neque unde accusativi λόφον et ζυγὸν pendeant appareat. Atque primum quidem Franz pro ἔξεται scripsit ὀχμάζεται, domat, Eur. El. v. 815 sq. nisus:

ἐκ τῶν καλῶν κομποῦσι τοῖσι Θεσσαλοῖς  
εἶναι τόδ' ὅστις ταῦρον ἀρταμεῖ καλῶς  
ἵππους τ' ὀχμάζει.

praeterea dicit Schol. Apoll. Rhod. 1. 743: κυρίως ἐστὶν ὀχμάσαι τὸ ἵππον ὑπὸ χαλινὸν ἀγαγεῖν ἢ ὑπὸ ὄχημα.

2) Hoc quoque est reiiciendum, quod Kern (l. c. p. 388) ad Ant. v. 952:

οὐτ' ἂν νιν ὄλβος οὐτ' Ἄρης  
οὐ πρόγος . . . ἐκφύγοιεν

ὄλβος, quod Erfurdt optime restituit pro ὄμβρος, ferri non posse videri dicit, cum ὄλβος sit beatitudo, hoc autem loco divitiarum significatio desideretur. Non recte, nam non pauci inveniuntur loci, ubi ὄλβος simili ac πλοῦτος vi adhibetur cfs. Eur. Med. 603

μή μοι γένοιτο λυγρὸς εὐδαιμόνων βίος,  
μηδ' ὄλβος, ὅστις τὴν ἐμὴν κνίζοι φρένα.

multa alia eius significationis exempla videas apud Stob. flor. III. pag. 183 f. sq. —



ὀχμάζεται igitur optimum praebet sensum a plurimisque, qui de hoc loco disputaverunt, viris doctis receptum est. Restat autem aliquid dubitationis de insequentibus ἀμφὶ λόφον ζυγόν, quod vario modo homines docti sanare studuerunt. Schneidewin scripsit:

ἵππον ὀχμάζεται ἀμφιλοφῶν ζυγόν

„ihm umhalsend das Joch“, ex vocabulis λόφωσις et λοφωτός verbum ἀμφιλοφῶν componens, quod in tota Graecitate non invenitur. Franz: ἀμφὶ λόφον ζυγῶ: domat equum iugo circum cervicem (scil. posito); Kayser: ἀμφιλόφῳ ζυγῶ iugo cervici imposito; adiectivum ἀμφίλοφος autem apud Graecos usurpatum fuisse demonstrari non potest.

Alii alio modo in isto versu sanando versati sunt. Dindorf, quod in apographis ἄξεται legitur, ἀέξεται proposuit (mediam formam verbi ἀέξω = augeo; cfs. Ai. 226: τὰν ὁ μέγας μῦθος ἀέξει) ita scribens:

ἵππον ἀέξεται ἀμφίλοπον ζυγόν

ἀμφίλοπον ζυγόν enim subiectum esse verbi ἀέξεται vult, ita ut sensus sit: „equum dociliorem reddit iugum cervici impositum.“ Aliter de Jan (Eos. II. p. 10):

ἵππον ἀέξεται ἀμφὶ λόφον ζυγῶν

„er vermehrt seine Kraft, das Joch auf den Nacken legend dem Rosse.“ — Engelmann, (Zeitschrift für das Gymnasialw. 1877):

ἵππον ἄγει τε καὶ ἀμφὶ λόφον ζυγοῖ

duo verba autem ἄγει καὶ ζυγοῖ hoc loco languida esse nemo negabit. Has hominum doctorum coniecturas attulisse sufficiat.

Mihi quidem ea, qua utebatur Heimsoeth, ratione adhibita ex scholiis locus sanari posse videtur. Scholiasta enim adnotat (ἀμφίλοπον ζυγόν) ἀντὶ τοῦ, περιβαλὼν ἀντὶ ζυγὸν περὶ τὸν λόφον, ὑπάγει, qui sensus quin textui genuino infuerit nemo dubitare potest. Itaque verbo ἄγει et participio βαλὼν ex scholiis sumpto scribendum censeo:

ἵππον ἄγει λόφον ἀμφιβαλὼν ζυγόν

ita ut participium ἀμφιβαλὼν ambo accusativos λόφον et ζυγόν habeat. Quo modo sensus et simplicissimus et toti loco maxime accommodatus restituitur. ἀμφιβαλὼν ζυγόν Herwerdenum quoque coniecisse video (H. van Herwerden, Ad poetas scenicos Graecorum. Mnemos. N. Ser. vol. VI), qui totum locum ita scribi vult: ἵππον ὀχμάζεται ἀμφιβαλὼν ζυγόν κ τ. λ.

Verbum ἀμφιβάλλειν quamquam plerumque ita adhibetur, ut ea persona sive res, cui aliquid circumdatur, in accusativo, res, quae circumdatur, in dativo sit posita (cfs. Eur. Phoen. 309 ἀμφιβάλλε μαστὸν ὠλέναισι ματέρος; Bacch. 1363 τί μ' ἀμφιβάλλεις χερσίν), tamen etiam cum duplici accusativo coniunctum invenitur: Eur. El. 1231 ἰδοῦ, φίλαν τε κοῦ φίλαν φάρεα τὰδ' ἀμφιβάλλομεν, quo loco Reiskius pro φίλαν (in codd. legitur Dindorfio auctore φίλαι) scribi voluit φίλα τε κοῦ φίλα eumque secutus est Dindorf; non recte, ut mihi quidem videntur, nam ut supra vidimus, non ea res sive persona, cui circumdatur, sed ea res, quae circumdatur, in dativo collocari solet; quare si dativum usurpare volebat poeta, φάρεα in eo casu ponendum erat. Aliud exemplum duplicis accusativi: Eur. Andr. 110 δονλοσύναν συγεράν ἀμφιβαλοῦσα κάρα, ubi item Dindorf κάρα proposuit, quod eadem de causa ac priore loco ferri non posse censeo.

Reliquum est, ut commemorem ἀμφιβαλὼν ἄγει in stropha v. 343:

κονφορόων τε φῦλον ὄρ-  
νίδων ἀμφιβαλὼν ἄγει

non genuinum sed ex nostro loco illuc translatum videri, id quod iam visum est Kviçalae

(Sitzungsberichte des k. Academie der Wissenschaften, hist. philos. Klasse, Wien 1865 f. XLIV,) qui dicit: „für ἀμφιβαλὼν vermuthete ich ein entweder zu φῶλον oder zu ὄρνιθων gehöriges Adiectiv.“ Namque primum ἀμφιβαλὼν si legimus cum σπείρασι δικτυοκλώστοις coniungendum est (scholiasta: περιβαλὼν τοῖς δικτύοις ἀγρεύει), a quo nimis longe abest, et σπείρασι δικτυοκλώστοις per se solum positum optimum praebet sensum. Praeterea pro ἄγει ἔχει, quod codex L praebet, in textum recipiendum videtur, quod ad sensum multo melius quadrat quam ἄγει.

Ant. v. 618 sq.

τό τ' ἔπειτα καὶ τὸ μέλλον  
καὶ τὸ πρὶν ἐπαρκέσει  
νόμος ὄδ' οὐδὲν ἔρπει  
θνατῶν βίῳ πάμπολις ἐκτὸς ἄτας.

Tota haec pars melica, quae inde a v. 582 usque ad v. 625 legitur, dubitationis est plenissima, neque quid de singulis locis corruptis sit statuendum satis constat. Eius autem strophae, cuius versus ultimos adscripsimus, sententia haec fere est: Jovis potentiam, quam nec somnus potest vincire nec menses indefessi, nemo potest cohibere; et de futuris rebus et de praeteritis haec valet lex: nullius hominis vita est ἐκτὸς ἄτας. In verbis autem, quae sunt tradita, cum πάμπολις sensu plane careat, Dindorf πάμπολις recte se habere posse ratus post hoc vocabulum lacunam indicavit ἐκτὸς ἄτας ex versu 625 irrepsisse dicens (itemque verba οὐδὲν ἔρπει ex versu 618). Contra autem est monendum praeter πάμπολις omnia recte se habere bonumque praebere sensum; quam ob rem alii in isto uno vocabulo totius loci corruptelam positam esse iudicaverunt, recte, ut mihi quidem videntur. Atque ut aliorum coniecturas omittam, L. Langius scribendum censuit παντελής, quod iam Lindemann et Hartung desideraverunt; mihi maxime probatur O. Ribbeckii, ni fallor, coniectura πάγκαλον: nihil procedit mortalium vitae plane pulchrum sine calamitate. (cfs. Aristoph. Plut. 1018 καὶ τὰς γε χεῖρας παγκάλας ἔχειν μ' ἔφη· Plato leg. 4. pag. 722 παγκάλη ἀνάπαντα).

Quod vocabula ἐκτὸς ἄτας paulo infra v. 625 repetuntur, offendere non potest; versibus enim 584. 5:

οἷς γὰρ ἂν σεισθῆ θεόθεν δόμος, ἄτας  
οὐδὲν ἔλλείπει γενεᾶς ἐπὶ πλήθος ἔρπον

argumentum continetur verborum, quae chorus facit, qua re fit, ut, cum ἄτης memoria senibus Thebanis semper ob oculos versetur, consulto poeta in hac parte melica quater ἄτης mentionem faciat v. 584. 614. 624. 625.

Transeo ad alium huius cantici locum corruptum. Versum 607

οὔτ' ἀκάματοι θεῶν (μῆρες)

et in antistropha versum respondentem (618)

εἰδοῦσι δ' οὐδὲν ἔρπει

non sanos esse apparet. Quid enim sibi vult v. 607 θεῶν μῆρες, praesertim cum de Jove solo sermo sit? Schneidewin οὔτ' ἐτέων ἄκαμοι μῆρες proposuerat, Homericum illo ἐτέων ἐνιαυτοί nisus; sed ἐτέων nostro loco languidum esse nemo non concedet. Nauck in strophā θεῶν et in antistropha ἔρπει pariter offendere putans utroque deleto scribendum coniecit: οὔτ' ἀκάμαντες — εἰδοῦσιν οὐδέεν. Atque de antistropha infra videbimus; in strophā autem longe simplicissima est sanatio et quae a vulgata proxime absit, cum pro θεῶν scribemus θεῖν, quod iam de Jan (Eos II. pag. 13) coniecisse video explicantem: „die unermüden kreisenden Monate.“

Qua emendatione recepta si strophae versus sanatum esse putabimus, antistrophae versus respondentem hoc metrum exhibere oportet: — — — — —; itaque de Nauckii coniectura *εἰδόσιν οὐδέν* postulantis sermo esse non potest. Atque ut illud primum moneam, verba, quae in libris leguntur: *οὐδέν ἔρπει* nullius auctoritatis esse verisimillimum est, quippe quae e versu 613 hunc in locum translata sint. Sensus autem esse videtur: spes „multivaga et quasi oberrans et in vagos varie errores adducens“ ut multis quidem emolumento est, ita multos inconsiderate cupitis fraudat, qui de ea re nihil suspicantur, priusquam in calamitatem inciderint. Dicitur igitur spes quasi consulto obcaecare eos homines usque ad id temporis momentum, quo in in calamitatem irruunt. Scholiasta ad *εἰδοῦτι δ' οὐδέν ἔρπει* explicat: *τῷ ἀνθρώπῳ οὐδέν εἰδοῦτι ἐπέρχεται*; recte, namque *ἐπέρχεσθαι* de animi motibus et affectionibus in pectus quasi se insinuantibus dici Phaedr. fragm. 607. 1 demonstratur:

*ἔρως γὰρ ἀνδρας οὐ μόνους ἐπέρχεται.*

Optime igitur hoc verbum *ἐπέρχεται* ad nostrum locum quadrat; spes enim homines desideratis fraudatura in eorum animos se insinuans efficit, ut homines obcaecati nihil suspicentur, priusquam etc. Quibus rebus commotus antistrophae versus ita scribendum puto:

*οὐκ εἰδοῦτ' ἐπέρχεται*

*εἰδοῦτ'* pro *εἰδοῦτα* dicto.

Oed. R. v. 62—64 in libris ita leguntur:

*τὸ μὲν γὰρ ὑμῶν ἄλγος εἰς ἓν ἔρχεται  
μόνον καθ' αὐτὸν κοῦδέν' ἄλλον, ἢ δ' ἐμὴ  
ψυχὴ πόλιν τε καὶ σ' ὁμοῦ στένει.*

Apud Stobaeum autem hi versus a Telete aliter laudantur (Floril. 95. 21):

*τὸ μὲν γὰρ ὑμῶν ἄλγος εἰς ἓν ἔρχεται·  
ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν καὶ πόλιν καὶ σὲ στένω.*

Utra maioris sit auctoritatis lectio diiudicaturis nobis necesse erit in universum qua fide sit Stobaeus in Sophoclis verbis laudatis paucis adumbrare. Atque omnino apud Stobaeum ducenti et unus versus ex eis Sophoclis tragoediis, quae supersunt, laudantur, eorumque longe plurimi in Florilegio (centum octoginta tres), pauci in Eclogis (duodeviginti). Satis autem dignum videtur, quod commemorem ex Aiace dimidio plures versuum laudatorum haustos esse centum undeviginti, triginta quinque ex Oed. R., viginti unum ex Antigona, quatuordecim ex Electra, decem ex Trachiniis, duos ex Oed. Col.; qua re apparet illo Stobaei tempore Aiace fabulae cognitionem inter omnes Sophoclis fabulas maxime floruisse, Philoctetae, ex qua tragoedia nullum versus Stobaeus affert, fere nullam fuisse. De ceteris quoque iure videtur concludi posse, Oedipum Regem et Antigona multo magis cognitas et in ore hominum, ut ita dicam, fuisse quam Oedipum Coloneum et Trachinias.

Textum autem illorum locorum Sophocleorum, quos, ut in locis, quos dicunt communibus, maximam partem e trimetris sumptos esse consentaneum est, cum Sophoclis codice L si comparaverimus, saepissime cum cod. L congruentem inveniemus; tamen autem non plane est ideum, ut ad eundem fontem redire videatur, ex quo codicis L textus haustus est. Discrepantia lectionis haec sunt:

- 1) Ai. 129 St. ἄρης — L ἄρη
- 2) Ai. 330 St. λόγοις — L φίλοι
- 3) Ai. 478 St. καλαῖσιν ἐλπῖσιν — L κεναιῖσιν ἐλπῖσιν
- 4) Ai. 647 St. ποιῆ — L φῦει

- 5) Ai. 714 St. ὁ χρόνος ὁ μέγας — L ὁ μέγας χρόνος
- 6) Ai. 1074 St. παρεστήκει — L (prima manu) καθεστήκει
- 7) Ai. 1081 et 1160 St. παρῆ — L πάρα a manu recentiore margini adscriptum.
- 8) Ai. 1083 St. οὐρίας — L οὐρίων
- 9) Ai. 1092 St. μητ' — L εἴτ'
- 10) Ai. 1357 St. ἀρετή — L ἡ ἄρετή
- 11) Ant. 182 St. εἴτις — L ὅστις
- 12) Ant. 190 St. λόγους — L φίλους
- 13) O. R. 57 St. πόλιν — L ἔσω
- 14) O. R. 87 St. λέγων — L λέγω
- 15) O. R. 356 St. ἰσχυρόν — L ἰσχύον
- 16) O. R. 551 St. εἴτ' οὐ — L εἴ τοι
- 17) O. R. 1409 St. καλὰ — L καλόν
- 18) Trach. 1 St. μὲν ἔστ' — L μὲν ἐστ'
- 19) Trach. 441 St. μὲν γοῦν — L μὲν .. ὦν pr. duabus literis erasis, quarum prior τ, non γ, fuisse potest, altera ο (Dind.)
- 20) Trach. 1172 St. τὸ δ' ἦν — L τὸδ' ἦν
- 21) El. 467 St. ἐπισπεύδει — L ἐπισπεύδειν
- 22) O. C. 592 St. deest δὲ σύμφορος — L ξύμφορον
- 23) Apud Stobaeum, qui laudat Ai. v. 550—55 deest versus spurius 554b: τὸ μὴ φρονεῖν γὰρ κάρτ' ἀνώδυνον κακόν, quem exhibet L eiectionem a Brunckio.

Quae lectionis discrepantia si accuratius perlustraveris, partem eorum sine ullo dubio scribentis errore exorta, non Stobaeo vitio tribuenda esse concedes; quo in numero hi loci sunt habendi:

- 3) Ai. 478 καλαῖσιν pro κεναῖσιν
- 5) Ai. 714 ubi scriptor metrum ignoravit
- 9) Ai. 1092 μητ' pro εἴτ'
- 14) O. R. 87 ubi scriptor antecedente φέρων perductus λέγων pro λέγω posuit
- 16) O. R. 551 εἴτ' οὐ pro εἴ τοι
- 17) O. R. 1409 ubi antecedens ἄ causa erat, ut καλὰ pro καλόν scriberetur.

Accedunt pauci loci, ubi nescio cuius culpa apud Stobaeum erratum esse apparet:

- 12) Ant. 190 λόγους pro φίλους
- 13) O. R. 57 πόλιν pro ἔσω
- 4) Ai. 647 ποιεῖ; veterrima corruptela esse videtur; cod. L enim praebet φνεί, quod et ipsum non rectum esse verisimile est; fortasse cum Herwerdeno φαίνει scribendum.

Contra autem loci sunt non pauci, quibus apud Stobaeum genuina lectio sive scriptura servata, in cod. L erratum est. Ante omnia hic monendum est, illum versum spurium, quem cod. L post Ai. v. 554 exhibet eiecitque Brunckius, deesse apud Stobaeum; praeterea:

- 2) Ai. 330 St. λόγους — L φίλοι

- 7) Ai. 1081 et 1160 St. *παρῆ* — quid in cod. L a prima manu scriptum sit, perspicere non potui; margini adscriptum est a manu recentiore *πάρα*.
- 10) Ai. 1357 St. *ἀρετή* — L *ἡ ῥετή*
- 18) Trach. 1 St. *μὲν ἔστ'* — L *μὲν ἔστ'* (scholiasta quoque cod. L: *λόγος μὲν ἔστ' ἀρχαῖος* legit; *ἔστι = ἔξῃστι*).
- 19) Trach. 441 St. *μὲν γοῦν* — *μην . . ὦν*; quo loco Dindorfium *γοῦν* aspernatum *ῥῶν* in textum recepisse miror; namque etiam Stobaei auctoritate omissa et propter textus traditi vestigia, cum duae ante *ῶν* litterae sint erasae, et propter sensum *γοῦν* desideratur.
- 20) Trach. 1172 St. *τὸ δ' ἦν* — L *τόδ' ἦν*.

Restant septem loci (quos numeris 1. 6. 8. 11. 15. 21. 22 signavimus), ubi utra lectio sit praefenda, dubitari potest; de singulis iam breviter disputare placet. Ac primum quidem El. v. 467 in cod. L legitur *ἐπισπεύδειν*, apud Stob. *ἐπισπεύδει*. Sed sive infinitivum *ἐπισπεύδειν*, qui unde pendeat, non satis intelligitur, sive *ἐπισπεύδει* legis, sententia ipsa non caret dubitatione. Scholiasta explicat: *τὸ γὰρ δίκαιον οὐ παρέχει ἀπολογία δνοῖν ὥστε ἐρίξειν ἀλλὰ παρέχει δηλονότι ὥστε σπεύδειν ἐπὶ τὸ δρᾶν. σπεύδω ἐπὶ τόδε· ἐπισπεύδω δὲ ἕτερον, ἦγον ἐπιέγω*. Iustum igitur rem faciendam maturare dicitur; qui sensus ferri non posse mihi videtur, cum omnes animi motus et boni et mali rem faciendam maturare possint. Accedit, ut verbum *ἐπισπεύδω* a nullo totius Graecitatis poeta cum accusativo coniungatur (exstat omnino praeter nostrum unum accusativi exemplum in Plat. Polit. p. 262 B *ἐπέσπενσας τὸν λόγον*). Quibus causis adductus neutram lectionem rectam esse iudico.

Melius quam scholiasta Nauck locum perspexisse videtur, qui ad hunc versum adnotat: „zu *ἐπισπεύδειν* ist ein Begriff wie *δεῖ* zu ergänzen“; ita ut non *τὸ δίκαιον* subiectum sit sed hic fere sensus: „sed maturare oportet rem faciendam“; quod optime quadrat; nam his verbis Chrysothemis dialogi cum sorore habiti finem facit, ut iam rem, quam Electra ei suasit, perficiat; priusquam autem abit, ad chorum conversa eum monet, ne matri quid enuniet. Ego quidem scribendum proposuerim:

*ἀλλ' ἐπισπεῖν δεῖ τὸ δρᾶν*

quod proxime a vulgata abest. verbum *ἐφέπω*, persequor, consequor (cfs. Homericum illud *ἐπισπεῖν μόρσιμον ἡμαρ*) significare potest: sector, curo cfs. Hom. Od. ξ 195 ubi per tmesin dictum est: *ἄλλοι δ' ἐπὶ ἔργα ἔποιεν*; Pind. Pyth. 4. 294 *συμποσίας ἐφέπων*; Aristoph. Thesm. 675 *δικαίως ἐφέποντας ὅσια*; postremo Oracul. ap. Paus. 4. 12: *οὐ σε μάχης μόνον ἔργ' ἐφέπειν χερὶ Φοῖβος ἄνωγεν*.

Ai. v. 1083 apud Stob. *οὐρίας* in cod. L *οὐρίων* legitur, Utrumque dici potest; ad *οὐρίας* subaudiendum est *πνοῆς* = flatus, qui secundus spirat, aura aspirans, ad *οὐρίων* subaudiendum *πνευμάτων* sive *ἀνέμων*; testatur autem Eustathius p. 1452 de *οὐρος* loquens: *ἀφ' οὗ καὶ ὁ ἐξ οὐρίας πλοῦς, ἦγον ὁ ἐκ πνοῆς εὐδιεινῆς· ὁ καὶ πληθυντικῶς λέγεται ἐξ οὐρίων, ἦγον ἐξ εὐδιεινῶν πνευμάτων*. Quod cum ita se habeat, utra forma magis sit usitata spectandum est. Atque legitur apud Aristot. Mechan. 5: *διὰ τί, ὅταν ἐξ οὐρίας βούλωνται διαδραμεῖν, μὴ οὐρίων τοῦ πνεύματος ὄντος, τὸ μὲν πρὸς τὸν κυβερνήτην τοῦ ἰστίου μέρος στέλλονται*; apud Polyb. I. 47. 2: *ἐξ οὐρίας πλέουσι*; cfs. Pollux I. 107; praeterea Agathius Hist. 1. 11: *ᾧδε πως ἀντὶ ἐξ οὐρίας ἅπαντα ἔθει*; Gregor. Orat. in S. Baptisma: *ἕως ἐξ οὐρίας πλεῖς*; apud Synes. Ep. 89 *ὃ δὲ ἐὰν ἐξ οὐρίας πλέης. ἐξ οὐρίων* autem, ni egregie fallor, inter omnes auctores Graecos apud Chrysostomum solum invenitur, qui ἐξ

οὐρίων πλεῖν et ἐξ οὐρίων φέρεσθαι dicit. Quare cum ἐξ οὐρίας sine dubio multo sit usitatus, hoc quoque loco istam lectionem, quam exhibet Stobaeus, praefendam puto.

O. R. v. 356 apud Stob. legitur ἰσχυρόν, in cod. L ἰσχύον, quod postea in ἰσχυόν mutatum est. Utrumque cum bonum praebet sensum, hic quoque ex usu diiudicandum est. Neutrum adiectivi ἰσχυρός saepissime substantivi vice fungi videmus; cfs. senarios qui adverbiales esse videntur:

ἰσχυρόν ὄχλος ἐστίν, οὐκ ἔχει δὲ νοῦν  
„robusta res est turba, mente sed caret.“

et alterum:

ἰσχυρόν ὁ γόμος ἐστίν, ἣν ἄρχοντ' ἔχει  
„res valida lex est, cum magistratus habet“,

praeterea apud Herod. 9·2: κατὰ τὸ ἰσχυρόν χαλεπὸν εἶναι περιγίγνεσθαι: apud Thucyd. 3. 6: ὀρῶντες οὐδὲν ἰσχυρόν ἀπὸ τῶν Λεσβίων. et alia. Interdum etiam τὰ ἰσχυρὰ substantiva vi usurpatur: Aeschin. p. 63. 9: τὰ τῆς πόλεως ἰσχυρὰ vires, robur urbis. Alterum autem exemplum, ubi participium verbi ἰσχύω substantiva vi sit usurpatum, non exstat; itaque hoc quoque loco Stobaei lectio ut magis ad linguae usum quadrans recipienda esse videtur. Fortasse accentus acutus in codicis L scriptura ἰσχύον ex altera lectione ἰσχυρόν servatus est litera ρ omissa.

Ai. v. 192 utrum activam formam, quam praebet Stob., an mediam ἄρη quam exhibet cod. L, usurpaverit poeta, certe diiudicari non potest; tamen autem activa forma et in scholiis quoque legitur, et ea, quam hic habemus, significatione saepius quam media forma adhiberi videtur; cfs. Oed. R. 914: ὑποῦ γὰρ αἶρει θυμὸν Οιδίππου ἄραν; Ai. v. 75: οὐ σὶγ' ἀνέξει μηδὲ δειλίαν ἀρεῖς (ubi cod. L ἀρηῖς exhibet εἰς superscripto a manu recentiore, quod saepe inveniri notum est, ut ηῖς vel ηῖ pro εἰς et εἰ scriptum sit; omnino autem causa non est, cur cum Schneidewino ἀρεῖ scribamus; ἀρεῖς scholiasta quoque testatur); Eur. Iph. Aul. 1574: αἶρειν θάρσος sumere fiduciam. Media forma semel a Sophocle adhibetur Oed. R. 1225: ὅσον δ' ἀρεῖσθε πένθος.

Ai. v. 1074 παρεστήκη, quod habet Stob., praefendum mihi videtur formae καθ-εστήκη, quam cod. L praebet; idque propter sensum, namque παρίσταμαι non est simpliciter adsto, sed praesto sum, auxilior, subsidio sum; cfs. Hom. Il. K. 291 ὡς νῦν μοι ἐθέλονσα παρίστασο καὶ με φύλασσε; Soph. Ai. σύμμαχον παρεστάναι, 1383 μόνος παρέστης χερσίν; Ac nostro loco: „wo nicht die Furcht (helfend) zur Seite steht.“

Restant duo loci, de quibus aliquid certi statui non potest, Ant. 182, ubi Stob. εἴτις cod. L ὄσις, et Oed. C. 592, ubi Stob. σύμφορος, cod. L ξύμφορον praebent; quae lectionum diversitas nihil in sensu mutat.

Quae si recte sunt disputata, Sophoclis verba, quae a Stobaeo laudantur, quamquam non carent corruptelis, maxime scriptoris erroribus, tamen in universum satis bene esse conservata putanda sunt, atque ut ex Ai. v. 330. 554. 1081. 3160. 1357. Trach. 441, quos locos supra attulimus, concludi potest, ex fonte paulo antiquiore et minus interpolato hausta esse videntur. Redeamus iam ad illum, ex quo profecti sumus locum Oed. R. 62—64. Lectio, quam exhibet Stob.:

τὸ μὲν γὰρ ὑμῶν ἄλγος εἰς ἓν ἐρχεται,  
ἐγὼ δ' ἑμαυτὸν καὶ πόλιν καὶ σὲ στένω

non solum Stobaei ipsius auctoritate sed interioribus quoque, ut ita dicam, causis commendatur. εἰς ἓν quin praefendum sit lectioni cod. L εἰς ἓν dubitari non potest, cum res,

quibus et Thebani ceteri et rex ipse dolent, comparentur: dolor vester unam tantum rem complectitur (scil. vestram ipsorum vitam), ego autem et me ipsum et urbem et te defleo. Ad neutrum ἐν defendendum recte Elmsleius attulit huius fabulae v. 519:

οὐ γὰρ εἰς ἀπλοῦν  
ἢ ζημία μοι τοῦ λόγου τούτου φέρει  
ἀλλ' ἐς μέγιστον.

In cod. L autem, postquam falso εἰς ἐν scriptum est, cum ad quem ἔνα pertineret, non satis apparet, ab interpolatore additum est: μόνον καὶ αὐτὸν, κοιδέν' ἄλλον, quod postea in textum est receptum. Scholiasta quoque eum, quem habet Stobaeus, textum legisse videtur explicans: νοσεῖτε πάντες· οὐδεὶς δὲ νοσεῖ ὡς ἐγὼ νοσῶ· εἷς γὰρ ὑμῶν ἕκαστος τὸ οἰκεῖον σκοπεῖτε, ἐγὼ δὲ καὶ τὸ οἰκεῖον καὶ τὸ κοινόν.

Oed. R. v. 2

τίνας ποθ' ἔδρας τάσδε μοι θοάζετε;

θοάζειν proprie significare „festinare“ (ταχύνειν, ut scholiasta Apoll. Rhod. ad I. 943 explicat) plurimis tragicorum locis constat; cfs. Eur. Bacch. 65 θοάζειν πόνον, Iphig. Taur. 1142 πτέρυγας θοάζουσα, multa alia exempla, quae Hermannus de hoc loco disputans collegit. Praeterea autem altera huius verbi significatio exstare videtur in Aesch. Suppl. 595: Ζεὺς ὑπ' ἀρχᾶς δ' οὐτινος θοάζων τὸ μείον κρεισσόνων κρατύνει, ubi festinandi significatio locum non habet, sedendi optime quadrat; deinde in Emped. fragm. περὶ φύσεως v. 18 (Mullach fragm. philos. Graec. I pag. 2 v. 52) Θάρσει, καὶ τότε δὴ σοφίης ἐπ' ἄκροισι θοάζε, ubi non sat recte Mullach vertit: „aude et sic in sapientiae fastigium evadito“ pro in fastigio sedeto. Accedit, ut scholiasta ad nostrum locum adnotet: θοάζετε: κατὰ διάλυσιν ἀντὶ τοῦ θάσσετε ἢ θοῶς παρακαθῆσθε, et apud Plut. Mor. p. 22 E legatur: τῷ θοάζειν ἢ τὸ κινεῖσθαι σημαίνουσιν (οἱ ποιηταί), ὡς Εὐριπίδης, κῆτος θοάζων ἐκ Ἀτλαντικῆς ἀλός· ἢ τὸ καθέξασθαι καὶ θαάσσειν, ὡς Σοφοκλῆς· τίνας ποθ' ἔδρας κ. τ. λ., similique modo in Etymol. M. p. 460. 11 θοάζετε = πρὸς καθέξετε; postremo apud Hesychium ἐθοάζειν = ἐκαθέξετο; quas adnotationes et scholiastam et auctores, quos attulimus, non ex sua ipsorum eruditione sed ex Didymo et grammaticis Alexandrinis sumpsisse verisimillimum est, qui de ea re melius quam nos nunc discernere poterant.

Quas ob causas „grammatici certant et adhuc sub iudice lis est,“ utra significatio huic loco sit vindicanda. Atque Erfurdt, G. Hermann: eosque secutus Fr. Ritter illam festinandi significationem multis locis firmatam maluerunt Aeschyli locum, quem commemoravimus, corruptum et scriptorum reliquorum auctoritatem haud magni momenti esse dicentes; explicant igitur: „cur hanc mihi sessionem festinatis“ aut Hermanno auctore: „cur tanto studio hic sessum venitis?“ Alii autem (Dindorf, Nauck) Aeschyli illo loco et grammaticorum auctoritate usi sedendi significationem defenderunt.

Iam ad nostram de ea re sententiam expromendam accedamus. Omnes locos, quibus verbum θοάζειν significatione festinandi usurpatum cum accusativo coniungitur, si perlustraverimus, ea tantum substantiva apposita inveniemus, in quibus perficiendis vel agitandis celeritas quaedam adhiberi potest, vel omnino, quibus motionis cuiusdam vis inest. cfs. Eur. Bacch. 65 θοάζειν πόνον, Iph. Taur. 1141 θοάζειν πτέρυγας (celeriter agitare), Orest. 355 θοάζων σε τὸν μέλεον (impellens), Herc. Fur. 382 de Diomedis equis: ἐθοάζων κάθαιμα οὔτα γέννισι (maxillis festinabant i. e. „celeri maxillarum motu vorabant“). Qua motionis significatione substantivum ἔδρα plane carere nemo negabit; quare num ἔδραν θοάζειν eo, quam vult Hermann, sensu dici possit, magnopere dubito. Praeterea autem ratio scenica, ut ita

dicam, non est neglegenda; namque eo temporis momento, cum Oedipus e foribus egreditur, Thebani non ad ararum gradus currentes sed quiete in eis sedentes cogitandi sunt; cfs. quae de ea re Buttmann in Lexil. vol. II. p. 105 sq. dicit, qui apte comparat Eur. Herc. Fur. 1214: *σὲ τὸν θάσσοντα δυστήρους ἔδρας αἰδῶ*. deinde Oed. Col. 1166 *τίς δῆτ' ἂν εἴη τήνδ' ἔ προσθακῶν ἔδραν*; Quibus causis commotus significationem sedendi quamquam insolitam huic loco vindicandam esse censeo.

O. R. v. 82.

*ἀλλ' εἰκάσαι μὲν, ἡδύς*

Adiectivum *ἡδύς* Dindorf interpretatur: *ἡδόμενος*, similique modo dicit Nauck (VI Aufl.): „gewöhnlich *ῥδύς* ᾧ *τις ἡδεται*, hier aber *ὅς ἡδεται*.“ quod minime rectum esse videtur; namque *ἡδύς* proprie est suavis, dulcis, eumque significat saporem, qui nobis omnium est iucundissimus; inde a sapore transfertur ad eiusmodi sive res sive personas, quae nobis sunt gratissimae; nunquam autem ad internum magnae voluptatis sensum indicandum usurpatur, sed de ea re sive persona dicitur, quae sensum movet, non quae ipsa sentit. Itaque *ἀλλ' εἰκάσαι μὲν, ἡδύς* (scil. *ἔρχεται*) interpretandum est: sed, ut coniecere licet, iucundus (scil. nobis advenit) i. e. iucundum nobis nuntium afferens.

Tres praeter hunc sunt loci, ubi *ἡδύς* significare „*ἡδόμενος*“ sive „gaudio plenus“ homines docti falso putaverunt, quorum difficillimus est Soph. Trach. v. 122, ubi chorus ad Deianiram nimis de Herculis sorte timentem dicit:

*ὣν ἐπιμεμφομένα σ' ἀδεῖα μὲν, ἀντία δ' οἴσω.*

Locus est dubitationis plenus; Musgravius pro *ἀδεῖα* coniecit *αἰδοῖα*, G. Hermann *ἄδεια*; sed ut scriptura, quae libris tradita est, retinenda sit, *ἀδεῖα* non est gaudio plena, sed totius loci sensus hic fere est: grata quidem tibi, sed contraria afferam. Alter locus in Eur. Hip. legitur v. 289, ubi nutrix, postquam gravem cum Phaedra habuit altercationem, placare studet dominam dicens:

*ἄγ', ὦ φίλη παῖ, τῶν πάροιθε μὲν λόγων  
λαθώμεθ' ἄμφω, καὶ σὺ θ' ἰδίῳ γενοῦ*

quibus verbis nihil aliud facit nutrix, nisi ut dominam hortetur, ut erga se paulo mitior et placidior esse velit. Tertius locus in Eur. Bacch. v. 135 exstat, ubi de Baccho dicit chorus:

*ἄδύς ἐν οὔρεσιν, ἐντ' ἂν  
ἐκ θιάσων δραμαίων  
πέση πεδόσε κ. τ. λ.*

quo loco *ἡδύς* est gratus, iucundus sc. maenadibus.

Itemque adiectivum *οἰνώπα*, quod eiusdem fabulae (O. R.) v. 211 legitur, falso intellegi mihi videtur. Ellendt in lex. Soph. *οἰνώπα* hoc loco significare dicit: „pampinis et uvis coronatum, ut quasi vitis speciem referat.“ Bacchus igitur secundum Ellendtii opinionem frondibus vitis et uvis adeo est circumdatus et obvolutus, ut ipse vitis esse videatur; videas, quaeso, quae ea est imago! Sed ut aestheticam, quam dicunt, huius rei partem omittam, num omnino ea, quae vult Ellendt, in adiectivo *οἰνώψ* inesse possunt? Cui rei lucem affere mihi videtur Euripidis locus, qui in Bacch. inde a v. 235 legitur. Dicit ibi Pentheus de Bacchi specie haec:

*ξανθοῖσι βοστρήχοισιν εὐκοσμος κόμη  
οἰνωπός, ὕσσοις χάριτας Ἀφροδίτης ἔχων κ. τ. λ.*

Describuntur igitur eius crines, oculi et — quam ad partem vocabulum *οἰνωπός* referendum



esse putabimus?—Certe ad nullam aliam quam ad genas et labra, quorum color rubro vino est similis i. e. purpureus. Hoc sensu nostro quoque loco *οὐνώπα* intellegendum esse censeo, ut significet: purpureo ore et purpureis genis.

Oed. R. v. 87, 88

*ἔσθλῆν· λέγω γὰρ καὶ τὰ δύσφορ', εἰ τύχοι  
κατ' ὄρωδ' ἐξελεθόντα, πάντ' ἂν εὐτυχεῖν.*

Subiectum infinitivi *εὐτυχεῖν* esse *τὰ δύσφορα* i. e. *τὰ χαλεπὰ διαπράττειν* = *ἡ ζήτησις τοῦ φονέως*, censeo; quam rem difficillimam, si bonum ad finem pervenerit, Thebanis prosperrimam fore Creon dicit.

Aliam his verbis inesse sententiam contendunt Doederlein (Ind. lect. Erlangae 1846) et Kvičala (Sitzungsberichte der Wiener Acad. 1869 p. 73) qui hoc modo vult interpungi:

*ἔσθλῆν· λέγω γὰρ, καὶ τὰ δύσφορ' εἰ τύχοι  
κατ' ὄρωδ' ἐξελεθόντα, πάντ' ἂν εὐτυχεῖν.*

explicans: „wenn auch *τὰ δύσφορα* (die auferlegte Entdeckung des Mörders) gelingt, dann ist alles gut, nicht blos ein Theil wie jetzt.“ Subiectum igitur verbi *εὐτυχεῖν πάντα* esse ratus nuntii, quem afferat Creon, alteram partem esse faustam (quod urbem peste liberari posse Apollo dixerit), alteram adversam esse putat (quod is, qui multos ante annos Laium interfecerit, quaerendus sit); quod difficile mandatum si bene sit perfectum, non alteram tantum partem, sed omnia fausta esse.

Quae sententia plane perversa mihi esse videtur, primum quidem, quod verborum ordo multo magis ad nostram explicationem quadrat; deinde, quod in Kvičalae interpretatione quid *καὶ* sibi velit, non intellego; namque *καὶ* tum tantum sensu non caret, si vocabula *καὶ τὰ δύσφορα* cum *εὐτυχεῖν* coniunguntur; postremo autem, quod oraculum in duas partes („dann ist alles gut, nicht blos ein Theil wie jetzt“) distribui non potest, praesertim cum rex, ad quem haec dicuntur, de oraculi responso eiusque partibus plane nihil sciat. Praeterea de oraculi responso num dici possit *εὐτυχεῖν*, valde dubium esse videtur.

Hoc loco admonere placet Ai. v. 263, ubi in libris legitur:

*ἀλλ' εἰ πέπανται, κάρτ' ἂν εὐτυχεῖν δοκῶ*

ex loci, quem modo tractavimus, similitudine quin pro *κάρτ'* scribendum sit *πάντ'* me non dubitare; infinitivi *εὐτυχεῖν*, qui *κάρτα* si legimus, ad chorum pertinet, subiectum est *πάντα*: „omnia bene se habere puto.“

Oed. R. 116. 117

*οὐδ' ἄγγελός τις οὐδὲ συμπράκτωρ ὁδοῦ  
κατεῖδ', ὅτου τις ἐκμαθὼν ἐχρήσατ' ἄν;*

Ad istos versus, de quibus multum iam est disputatum, scholiasta adnotat: *οὐδ' ἄγγελος οἶον, οὐδὲ ἀκόλουθος παρ' οὗ τις ἂν μάθοι καὶ χρήσαιτο πρὸς ζήτησιν*. In cod. L legitur: *κατεῖδεν ὅπου*, sed recentiore manu mutatum in *ὅτου*, quod quin rectum sit dubitari non potest, quod obiectum ad *ἐκμαθὼν* desideratur. Cum autem *κατεῖδεν ὅτου* non ad metrum quadraret, in codicibus recentioribus in *κατεῖδ' ὅτου* mutatum est. Contra Dindorf monuit, pronomen potius verbo primario addi debuisse quam participio adiuncto, deinde verbum *κατεῖδ'* ad *συμπράκτορα* tantum, non ad *ἄγγελος* aptum esse; itaque scribendum proposuit: *κατεῖφ' ὅτω*. Alii in verbo *κατεῖδε* solo vitium positum esse existimantes substituere voluerunt Bergk *κατῆλθ'*, Sintenis (Philol. V. 743) *κάνεισ'*, alius vir doctus proposuit *κάνοιδε*. Meineke non initium sed exitum versus corruptum esse dicens pro *ἐχρήσατο* scribi vult

εἴσατο, ita ut haec sit sententia: nullusne nuntius vel comes itineris rem (vel caedem) vidit, a quo quis eam resciscens ulcisci posset?

Mihi autem omnino nulla causa esse videtur, cur verbum *κατεῖδε* cum substantivis *ἄγγελος* et *συμπράκτωρ ὁδοῦ* coniungi non possit; praesertim cum hoc verbum in Creontis responso: *ὄς φόβῳ φρυγῶν ὧν εἶδε πλὴν ἐν οὐδὲν εἶχ' εἰδῶς φράσαι* defendatur. Obiectum subaudiendum est *τὸ πρᾶγμα*, quod omitti posse constat. Oedipus enim interrogaturus: „num nemo rem vidit?“ pro nemo *οὐδ' ἄγγελός τις οὐδὲ συμπράκτωρ ὁδοῦ* dicit. Itaque neque Dindorfii *κατεῖφ'* (quod propter insequens participium *ἐκμαθῶν* omnino ferri non posse docuit Kvičala in Sitzungsber. der Wiener Akad. 1869. p. 85) neque *κατεῖλε* neque ulla alia coniectura necessaria est.

Nihilo magis autem causa esse videtur, cur *ὅτον* mutemus in *ὅτω*; namque et pronomen ei verbo, cui proximum est, se accommodare consentaneum est et scholiastam quoque *ὅτον* legisse verba eius demonstrant: *παρ' οὗ τις ἂν μάθοι*, Nauckii quoque coniectura est reiicienda, qui cod. L scriptura *κατεῖδεν* nisus scribendum putat: *κατεῖδεν ὅ, τι* —. Idem obiectum ad *ἐκμαθῶν*, quod ad *κατεῖδε* subaudiendum est.

Oed. R. 155. 156

*τί μοι ἢ νέον ἢ περιτελλομέναις ὥραις πάλιν ἐξανύσεις χρέος.*

Quaeritur, quid vocabulum *πάλιν* significet. Scholiasta totius enuntiationis sententiam illustrans perspicue paucis verbis dicit: *ἢ νέον — ἢ νεωσιί — ἢ περιτελλομέναις ὥραις· εἰς τὸν ἐξῆς χρόνον προϊούσης τῆς ὥρας· ὁ δὲ τοῦς: τί μοι ἢ νῦν ἢ μετὰ χρόνον ἀνύσεις*. Qui sensus optime ad totum locum quadrat; sed non interpretatus est scholiasta *πάλιν*. Inter editores Schneidewin — Nauck solus de *πάλιν* verba facit: „was er (Apollo) entweder neues oder im Umschwung der Jahre sich wiederholendes (bei ähnlicher Noth von Gott schon früher angeordnetes) den Thebanern zu verrichten auferlegen wird.“ Quam explicationem subtilius excogitatam quominus recipiam, significatione adverbii *πάλιν* plane inusitata impedior. Aliter M. Seyffert (Zeitschrift für das Gymnasialw. 1873), qui pro *πάλιν* scribendum esse dicit *πάλαι* hoc modo coniungens: „τί ἢ νέον ἢ πάλαι χρέος ἐξανύσεις „welche neue oder im Kreislaufe der Jahre altgewordene Schuld wirst du von mir eintreiben?“ *ἐξανύειν χρέος* dictum esse putat pro usitatiorē formula *ἐκπράττειν χρέος*; sed neque exemplis firmare id potuit et ea, quam affert scholiasta, explicatio simplicior et toti sententiarum conexui magis accommodata esse videtur.

Atque de adverbii *πάλιν* significatione in scholiis ad Hom. Iliadem invenimus adnotationes, quas ex Aristarcho haustas esse verisimile est: ad II. E 257 (et ad alios versus): *τὸ πάλιν οὐκ ἔστιν ἐκ δευτέρου ὡς ἡμεῖς, ἀλλ' ἀπὸ τοῦ ἔμπαλιν ἐρεῖ, ἐναντίως*. (*ἔμπαλιν* autem est e contrario, contra, versa vice); itaque contrarium quendam actum significare potest; cfs. praeter Hom. locos Plat. Gorg. p. 482 D: *καί σοι κατεγέλα, ὡς γέ μοι δοκεῖν, ὁρθῶς τότε· νῦν δὲ πάλιν αὐτὸς ταῦτόν τοῦτο ἔπαθε* z. t. l.; praeterea huius fabulae v. 848. 9:

*ἀλλ' ὡς φανέν γε τοῦπος ὄδ' ἐπίστασο,  
κοῦκ ἔστιν αὐτῷ τοῦτό γ' ἐκβαλεῖν πάλιν.*

Simili modo hic quoque *πάλιν* cum antecedentibus *περιτελλομέναις ὥραις* coniungendum esse mihi videtur, ita ut *περιτελλομέναις ὥραις* oppositum sit vocabulo *νέον*: „was du entweder jetzt oder im Laufe der Jahre dagegen vollenden wirst.“ Namque chorus non de illo dubitat, utrum remedium dei sit plane novum an prius iam adhibitum, sed utrum statim an spatio aliquo intermisso deus auxilium sit laturus.

Oed. R. 198. 9:

τέλει γὰρ εἴ τι νύξ ἀφῆ  
τοῦτ' ἐπ' ἡμαρ ἔρχεται.

Istorum versuum, de quibus iam plurimum est sudatum, sensum scholiasta recte explicavisse videtur: εἴ τι ἢ νύξ ἀγαθὸν καταλείπεται, τοῦτο ἐν ἡμέρᾳ ἀναιρεῖται. Βούλεται δὲ λέγειν, ὅτι τὰ κακὰ ἀδιάλειπτον ἔχει. Quid autem sibi vult τέλει? Scholiasta addit: εἰ γὰρ τι ἢ νύξ ἀφῆ ἐπὶ τῷ ἑαυτῆς τέλει ἀβλαβές μὴ φθάσασα αὐτὸ ἀπολέσαι, τοῦτο μεθ' ἡμέραν ἀνήρπασται, quod absurdum esse apparet. Melius scholiasta cod. Lips. (vid. Hermannum) locum explicat: „εἴ τι γὰρ ἂν ἢ νύξ ἀφῆ, τοῦτο διὰ τέλους ἢ ἡμέρα ἐπέρχεται, quam interpretationem secutus est Elmsleius dicens: τέλει valet τελέως, ἀτεχνῶς, absolute, omnino; quod quamquam sensum quendam praebet, tamen non rectum esse censeo, cum τέλει ea, quam vult Elmsleius significatione non inveniatur, neque quod ad sententiam attinet, omnino ad sensum quadrat. Praeterea neque Hermannii interpretatio: „fini si quid nox permiserit“, nec Meineckii (l. l. p. 223) „morti si quid nox reliqui fecerit“ (Hermannii interpretationi opposita) probari potest.

G. Hermann, cui illa cod. Lips. explicatio non satisfacit, ad corruptelam loci sanandam duas fecit coniecturas aut τελεῖν proponens („id quod perficiendum nox reliquerit“ quod Dindorf in textum recepit) aut μέλλει γάρ. „cunctatur enim scil. Mars“; sed ne ipse quidem his coniecturis nimiam auctoritatem tribui voluit. Bergk ita interpungit vulgata servata: τελεῖ γάρ· εἴ τι νύξ ἀφῆ κ. τ. λ. „denn er (Ares) wird's vollbringen (wozu das Object aus 192 zu entnehmen ist)“, quod iam Bumb proposuerat (l. l. p. 188. 9). Contra autem est monendum, obiectum ad τελεῖ γάρ desiderari, namque num τελεῖ γάρ obiecto non addito illa significatione intellegi possit, magnopere dubito; praeterea id quoque offendit, quod insequens sententia per asyndeton addita est, quae sententiae secundariae aut causalis aut conditionalis locum secundum Bergkii interpretationem tenet. Hanc posteriorem dubitationem tollere conatus Kvičala (l. c. p. 91) scribit:

τελεῖ γὰρ, εἰ, τὸ νύξ ἀφῆ  
τοῦτ' ἐπ' ἡμαρ ἔρχεται.

sed restat prior de τελεῖ dubitatio; deinde autem similem apud tragicos non repperi locum, ubi articuli pro pronominis forma ita esset posita, ut ad insequens pronomem demonstrativum pertineret (τό τοῦτο). Alii alia coniecerunt: Nauck βέλει, Arndt αἰί; sed omnes enumerare coniecturas longum est.

Ex omnibus is sensus mihi maxime probatur, quem inesse voluit Martin proponens φέγγει: „id quod luci nox reliquerit, dies aggreditur.“ Illud autem displicet, quod φέγγει scripsit; multo propius a vulgata abest dativus φάει = luci diei, salutis; ἐν φάει εἶναι est vivum esse, cfs. Phil. 1212: οὐ γὰρ ἐν φάει ἔτι; Phil. 415 dicitur φάος de faustis rebus et prosperis, Ai. 709 νῦν πάρα λευκὸν εὐάμερον πελάσαι φάος; Hom. II. 16. 95 ἐπὶ γὰρ φάος ἐν νήεσσιν θήησ.

Oed. R. 159

πρῶτ' ἀσε κελόμενος, θύγατερ Διός, ἄμβροτ' Ἀθάνα κ. τ. λ.

αμβροτος, quod adiectivum de deis dictum languidum est, praeter eum, quem adscripsimus, locum ter tantum in tota Graecitate deis est appositum: Hom. II. XX 358 Marti, Od. XXIV 444 deo alicui (Minervam enim esse Medon, qui illum versum dicit, ignorat), postremo apud Quintum Smyrnaeum XIV v. 407 Iridi (cfs. commentationem, quam L. Krahe conscripsit: „Ueber epitheta der Götter und Menschen“ in Philol. vol. XVII). Accedit nostro loco, ut

versu antecedente idem adiectivum legatur: ἄμβροτε Φάμα. Sed eam ipsam ob rem sun qui ἄμβροτ' Ἀθάνα defendant, quod haud raro duorum versuum se subsequentium exitus tam sunt similes, ut id casu factum esse haud sit verisimile (videas de ea re Fr. Doerii libellum, qui inscribitur: „Der Reim bei den Griechen, mit besonderer Berücksichtigung des Sophocles.“ Lips. 1857, ubi complures einsmodi loci collecti sunt); exempli gratia afferam Oed. Col. 534. 5 ἀπόγονοι τεαί — πατρὸς ἀδελφεαί, Ant. 873/4 μέλει — πέλει; neque similes tantum exitus, sed plane eadem vocabula repetita leguntur: El. v. 1218/9 τάφος bis Phil. 361/2 εἶκος ἦν — ἀλλ' ὅς ἦν Trach. 1005 δύσμορον εὐνάσαι — ὕστατον εὐνάσαι, Phil. 878/9 τέκνον bis, 1299. 1300 βέλος bis.

Itaque quin nonnullis in locis similitudo quaedam in versuum exitu consulto a poeta admittatur, dubitari non potest; sed in ea re poeta non est premendus, neque, si vocabuli sensu offendimur, similitudine externa, ut ita dicam, commoveri possumus, ut retineamus. Atque multi iam viri docti ἄμβροτε ferri non posse rati loco sanando operam dederunt, coniecerunt Heimsoeth (Kritische Stud. p. 159) ὄβριμ' Ἀθάνα, Wecklein (ars Soph. emend. p. 70) ἄντομ' Ἀθάνα (ἄντομαι), Ritter ἀλκίμ' Ἀθάνα Aiacis v. 401 nisus, ubi Minerva dicitur ἀλκίμα θεός. Quarum coniecturarum nulla mihi probatur, cum adiectiva ὄβριμος atque ἀλκίμος et ipsa hoc loco sint languida et verbo ἄντομαι inter vocativos θύγατερ et Ἀθάνα certe locus non sit.

Ac mihi quidem scribendum videtur: Παλλὰς Ἀθάνα; legitur enim in Oed. Col. locus nostri simillimus, ubi eidem tres dei, Minerva, Diana, Apollo, ut urbem tueantur, invocantur, v. 1090—1095:

σεμνά τε παῖς Παλλὰς Ἀθάνα,  
καὶ τὸν ἀργεντιὰν Ἀπόλλω,  
καὶ κασιγνήταν πυκροστίκτων ὀπαδὸν  
ὠκυπόδων ἐλάφω στέργω διπλᾶς ἀρωγᾶς  
μουλεῖν γὰρ τᾶδε καὶ πολίταις.

Antecedit v. 1006 παντόπτα Ζεῦ, subaudiendum igitur est ad σεμνά τε παῖς: Διός, ita ut locus sit nostri simillimus. cfs. praeterea Ai. v. 952:

τοιόνδε μέντοι Ζητὸς ἶ δεινὴ θεὸς  
Παλλὰς φτενεῖ πῆμ' κ. τ. λ.

Pro Παλλὰς autem ἄμβροτ' in textum venisse videtur et propter similitudinem quandam scripturae, namque ἀλλ et αμ (ΑΛΛ ΑΜ) haud raro inter se commutantur, et propter antecedens ἄμβροτε Φάμα.

El. v. 84

.... ταῦτα γὰρ φέρει  
νίκην τ' ἐφ' ἡμῖν καὶ κράτος τῶν δρωμένων.

Cum ferri non possit: φέρει νίκην ἐφ' ἡμῖν, Turnerus hunc locum ita scribi voluit:

.... ταῦτα γὰρ φέρειν  
νίκην τε φημί καὶ κράτος τῶν δρωμένων

quod a plerisque viris doctis receptum est. Multo probabilius haec verba Apollinis haberit quam paedagogi apparet, cum non quid sibi sed quid deo videatur dixisse cogitandus sit senex; idque sensit Nauck ad v. 84 adnotans: „eine feierliche Schlussformel, durch welche Apollo's prophetischer Spruch selbst hindurch klingt.“ Itaque verbo φημί, quod Turnerus

proposuit, acquiescere non possum. Optime autem Nauck Tyrtaei locum, ut nostri similem, adscripsit (fragm. 4. v. 9. 10):

δήμου τε πλήθει νίκην καὶ κράτος ἔπεσθαι·

Φοῖβος γὰρ περὶ τῶν ὧδ' ἀνέφηρε πόλει

quem locum Sophocles re vera respexisse videtur. Quam ob rem scribendum mihi videtur:

... ταῦτα γὰρ φέρειν

νίκην τ' ἔφηρε καὶ κράτος τῶν δορωμένων.

Verbi *ἔφηρε* subiectum esse Apollinem e versu 82 apparet. cfs. praeterea Oed. R. v. 725:

ῶν γὰρ ἂν θεὸς

χρεῖαν ἐρευνᾷ ἠραδίως αὐτὸς φανεί.

El. v. 1081

τίς ἂν εὐπατρὶς ὧδε βλάστοι;

Dindorf haec verba ita explicat: *εὐπατρὶς*: optimo patre nata, nobili patre digna; quae explicationes cum inter se sint plane diversae, alteram Dindorf magis probans locum ita intellegere videtur, ut *ὧδε* cum *εὐπατρὶς* sit coniungendum: „quis nobili patre adeo dignus est?“ Brambach quoque ei interpretationi assentitur dicens: „wer hätte sich so edel benommen?“ Simili modo Schneidewin - Nauck locum intellegi volunt: „Electra bewährt sich als *εὐπατρὶς*, d. h. als ebenbürtige Tochter eines edeln Vaters.“

Num omnino *εὐπατρὶς* hac activa, ut ita dicam, significatione usurpari possit, mihi quidem minime constat; *εὐπατρὶς* enim is dicitur, qui „bono patre est natus, i. e. patre, qui bonae est famae, boni nominis, etiam patre claro, qui paterno genere est clarus, claris est natalibus;“ neque ullum exstat exemplum, ubi *εὐπατρὶς* illam activam habeat vim (cfs. El. v. 162. 859. Eur. Jon. 1073); praeterea autem de sententiarum conexu est videndum. Brambachii laus est, ut primus singularum sententiarum in melicis Sophoclis partibus ordinem exposuerit et logica quadam ratione sententias progredi docuerit. Ita nostro loco (cfs. Brambach Sophocl. Gesänge p. 181) in strophā *α* in universum de Atridarum malis sermo est, in antistrophā de Electrae solius miserrima vita; tum in strophā *β* de causa, qua Electra commota hanc potissimum sortem sibi elegerit, in antistrophā *β* postremo bonis votis chorus eam prosequitur.

Cum igitur in antistrophā *α* de Electrae miseriis sermo sit, sensus versus 1081 esse non potest: „quis nobili patre adeo dignus est“, quod summis Electra laudibus his verbis tolleretur, praesertim cum in versibus insequentibus aliquid huic sensui contrarium dicatur: *οὐδεὶς τῶν ἀγαθῶν ζῶν κακῶς εὐκλειαν αἰσχῦναι θέλει νόνημος· ὧς καὶ σὸ κ. τ. λ*; tum demum in strophā *β* illae Electrae laudes sequuntur. Quibus causis apparet huius loci sensum non alium esse posse nisi: „quisnam generosus hoc modo vitam degat?“ id est, quis est, qui nobili loco natus tam miseram vitam degat? quod totius antistrophae sensui maxime est accomodatum. Verbum *βλαστάνειν* quin significare possit *πεφυκέναι* i. e. esse, vitam degere, dubitari non potest; cfs. v. 440:

εἰ μὴ τλημονεστάτη γυνὴ πασῶν ἔβλασταν.

Hermannum eadem significatione hunc locum intellexisse ex eo concludi potest, quod in versu subsequente, cum post *ἀγαθῶν* una syllaba desiderari videretur, *γὰρ* supplevit, quod illam Dindorfii interpretationem si sequeris, sensu plane caret.

Versus insequentes 1082. 1083 in libris ita leguntur:

οὐδείς τῶν ἀγαθῶν  
ζῶν κακῶς εὐκλειαν αἰσχῦναι θέλει.

cum autem in antistropha versus 1090

ζῴης μοι καθύπερθε

una syllaba sit maior quam v. 1082, huic versui unam syllabam esse addendam viri docti censuerunt; atque, ut iam commemoravi, Hermann addidit γάρ, quod probari mihi non potest, cum non causa afferri videatur ad ea, quae versibus antecedentibus chorus dixit, sed ad rem plane novam sententia procedat: anteit enim sententia in universum dicta οὐδείς τῶν ἀγαθῶν . . . θέλει, cui subsumitur id, quod de Electra dicitur: ὧς καὶ σὺ . . . εἶλον. Schneidewin post ἀγαθῶν adiunxit ἄν et pro θέλει scribi voluit θέλοι, Orionis nisus anthologia, ubi hoc loco laudato θέλοι legitur; ἄν — θέλοι autem languidius esse quam indicativum θέλει nemo negabit.

Sed cum nusquam, neque in Sophoclis codicibus neque apud eos, qui hunc locum laudant, scriptores (cfs. Stob. floril. II. p. 42 Mein. et in Orionis Antholognomico VII. 11) ullum syllabae post ἀγαθῶν positae vestigium possit inveniri, mihi quidem omnino syllaba non desiderari, sed in antistropha corruptela quaerenda esse videtur, cuius priores versus quin non sint sani, propter metrum dubitari non potest. Legitur enim in cod. L:

ζῴης μοι καθύπερθε  
χερὶ καὶ πλούτῳ τῶν ἐχθρῶν ὅσον κ. τ. λ.

Quae ad corrigenda homines docti pro καθύπερθε καθύπερθεν, quod scholia atque Eustathius praebent, pro χερὶ χειρὶ, quod et ipsum apud Eustathium legitur, pro τῶν Hermann τεῶν — quae forma num a Sophocle et Euripide sit admissa valde dubium est —, L. Langius τοσόνδ' scripserunt, ut alias coniecturas praetermittam.

Quodsi autem ea, quae de versu 1082 statuimus, recte se habent, multo simplicius et vulgata magis conservata locus sanari posse videtur. Ego enim χερὶ et τῶν retentis ita scripserim:

ζῴης μοι καθύπερ-  
θεν χερὶ πλούτῳ τε τῶν ἐχθρῶν ὅσον κ. τ. λ.

quae verba ad metrum strophae optime quadrant. τε inter πλούτῳ et τῶν positum facillime poterat omitti, quo facto, cum coniunctionis particula inter χερὶ et πλούτῳ desideraretur, καὶ suprascriptum postea in textum receptum est. πλούτῳ τε Triclinius quoque genuini textus vestigio servato legit.

Quod ad sensum versuum 1082. 3

οὐδείς τῶν ἀγαθῶν  
ζῶν κακῶς εὐκλειαν αἰσχῦναι θέλει

attinet, pauca adiciere placet. Dindorf enim eundem fere sensum inesse putat atque in huius fabulae v. 1320:

ἢ γὰρ ἂν καλῶς  
ἔσωσ' ἐμαντήρ, ἢ καλῶς ἀπωλόμην.

et in Ai. v. 479:

ἀλλ' ἢ καλῶς ζῆν, ἢ καλῶς τεθνηκέναι  
τὸν εὐγενῆ χροί.

quod plane falsum esse videtur. Illis enim locis dicit poeta aut bene vivendum esse nobilibus aut bene moriendum; nostro autem loco neminem nobilium turpiter viventem

laudem velle maculare; i. e. Electra summa in calamitate quam in ignominia vivere mavult; vitam calamitosam, si cum suis in gratiam rediret, effugere cum possit, id ignominiae sibi fore rata omnes mavult perferre calamitates. Quid de hoc loco Nauck statuatur, ex eius interpretatione: „kein wahrhaft edler versteht sich dazu, durch ein schmähhliches Dasein den Ruhm seines Namens zu beschimpfen“ non dilucide perspici potest.

Ai. v. 300

. . . . τοὺς δὲ δεσμίους  
ἤχιζέθ', ὥστε φῶτας ἐν ποιύμαις πίτνων.

*πίτνων* quamquam propter metrum ferri potest, propter sensum suspicionem movet, namque post antecedentia *τοὺς δὲ δεσμίους ἤχιζέθ'* quid opus erat addere: in armenta irruens? Qua de causa Boissonade verba *ἐν ποιύμαις πίτνων* e versu 185 falso huc translata esse censuit. Mihi autem non necessarium videtur totum locum suspectum habere, sed tantummodo verbum *πίτνων*, cuius loco aliud participium poetam scripsisse puto; itaque ego scripserim: *ὥστε φῶτας ἐν ποιύμαις ἐλών*: „vinctos autem vexabat atque verberabat, quasi viros in gregibus cepisset. (cfs. Antig. 497, Phol. 1228, ubi item *ἐλών* in trimetri fine est positum). Similitudine autem versus 185 interpolator perductus esse videtur, ut pro *ἐν ποιύμαις ἐλών* scriberet: *ἐν ποιύμαις πίτνων*.

In Phil. v. 795

τὸν ἕσον χρόνον τρέφοιτε τήνδε τήν νόσον

offendor anapaesto, qui prima sede legitur, *τὸν ἕσον*. De solutionibus, quae in trimetris inveniuntur, apud Rossbachium et Westphalium (Metrik p. 188) legitur: „bei Aeschylus und Sophocles kommt auf etwa 25 Trimeter eine Auflösung;“ quod non rectum esse ostendit Rumpel (Philol. XXV pag. 55 sq.), qui omnibus, qui solutiones exhibent, locis collectis in universum apud Aeschylum in undecim, apud Sophoclem in quatuordecim trimetris unum pedem solutum inveniri demonstrat; in Euripidis fabulis solutiones multo sunt frequentiores, ita ut inter istos tres tragicos Sophocles ea licentia minime saepe utatur. Operae autem pretium esse videtur, quomodo Sophocles in singulis solutionibus adhibendis versatus sit, paucis explicare.

I. Ac primum quidem tribrachyn, cum in sedibus et paribus et imparibus locum habeat, dactylo et anapaesto saepius usurpari potest concludi. Et re vera a Sophocle tribrachys ducenties tricies sexies (236) usurpatus est (fragmentis omissis): sexagies sexies in primo pede, undequadragies in secundo, quinquagies semel in tertio, undeseptuagies in quarto, octies in quinto.

De huius pedis soluti compositione haec sunt monenda:

a) tribrachys uno vocabulo trisyllabo si continetur, id vocabulum semper fere in versus initio est positum (quinquagies sexies 56) sex locis exceptis Ai. 1459 ubi *πεδία* quintum pedem explet, Oed. R. *πατέρα* quartum, ibidem v. 1496 *πατέρα* quintum, El. v. 1361 *πατέρα* tertium, Phil. v. 1235 *πότερα* secundum, ibidem v. 1314 *πατέρα* secundum.

b) Longe saepissime tribrachys ita admittitur, ut prima syllaba vocabuli antecedentis ultimam, duae posteriores syllabae vocabuli insequentis primam partem efficiant —|—). Omnino centies quadragies semel (141) haec solutionis forma invenitur, idque sexagies semel in quarto, tricies in secundo, undequadragies in tertio pede, rarissime in quarto: ter (Oed. R. v. 1505: *σφε περι|ίδης*, Phil. v. 1302: *ἄν|δρα πολε|μίον*, Phil. v. 1327: *τὸν ἀκα|λυφῆ*), in primo septies (Ai. v. 341, 467, 1356, Oed. R. 1073, Phil. 740, 815, 914).

c) tribrachys in tria vocabula distributus —|—|— legitur decies septies; semel in primo pede (Phil. v. 601 *τίς δ' πόθος*), bis secundo (Oed. C. 24, El. v. 4), decies in tertio, quater in quarto, semel in quinto (Oed. R. v. 967 *ἐμὸν; ἔ δὲ | θανάων*). Plurimis in istis locis media syllaba articulum *ὀ* sive *τόν* exhibet arte cum vocabulo insequente coniunctum.

d) In verbis plures quam tres syllabas continentibus tribrachys decies septies usurpatur idque in quoque pede sexto excepto.

e) tribrachys ita distributus, ut priores duae syllabae vocabuli antecedentis, ultima syllaba insequentis sit — —|—, non invenitur.

II. Dactylus, qui in quinto pede omnino non legitur, locum habet in tertio pede, ubi centies nonagies sexies (196) adhibetur; praeterea in primo vicies quinquies. Atque

a) dactylus uno vocabulo, quod tres vel plures syllabas contineat, inclusus in primo tantum pede exstat, plerumque in nominibus propriis (Ai. v. 575 n. pr., 846 n. pr., 1293 n. pr., Oed. C. v. 488, 1634, El. v. 326 n. pr., Phil. v. 425 n. pr. 999. 1003. 1392). Duobus tantum locis nomen proprium dactylum continens in tertia sede legitur Ai. v. 340. Phil. v. 241.

b) Longe plurimi qui in trimetris inveniuntur dactyli ita sunt instituti, ut longa syllaba antecedentis, duae breves insequentis vocabuli pars sint —|— —. Haec est usitatissima pedis tertii soluti forma; namque ex centum nonaginta eiusmodi solutionibus quatuordecim in primo, ceterae omnes in tertio pede leguntur.

c) Dactylus in tria vocabula distributus —|—|— non nisi in tertio pede invenitur, idque in eis fabulis, quas cum aetate iam provectus esset, Sophocles conscripsit: septies in Oed. R. (99. 422. 637. 768. 1382. 1391. 1441), quater in Oed. C. (388. 470. 487. 1008), semel in Trach. v. 292, septies in Phil. (237. 501. 578. 813. 879. 930. 1348).

d) Dactylus ita distributus, ut priores duae syllabae vocabuli exitum, ultima insequentis vocabuli initium efficiant, — —|—, non invenitur.

III. Anapaestus, qui ab Aeschylo semper fere in primo tantum pede admittitur (unde quinquagies, bis in secundo, semel in quarto, semel in quinto), apud Sophoclem quoque fere semper in primo pede locum habet plerumque in nominibus propriis; qui anapaesti non primo in pede leguntur, eos nominibus propriis poeta admittere coactus est. Duodeoctogies (78) a Sophocle adhibitus est: sexagies bis (62) in primo pede, ter in tertio, sexies in quarto, septies in quinto. Uno vocabulo trisyllabo si continetur, non nisi in primo pede admittitur (tricies bis 32); in longioribus vocabulis et in primo et in tertio, quarto, quinto invenitur.

Nusquam autem anapaestus ita legitur, ut in duo vocabula distribuatur; errat enim Rumpel huic normae tres Sophoclis locos Ai. v. 706, Phil. 795, Trach. 879 adversari dicens; namque Ai. v. 706:

*ἔλυσε γὰρ αἰνὸν ἄχος ἀπ' ὀμμάτων Ἰσθης*

quamquam in melica parte hic trimeter positus est, tamen vocabulo *γάργ*, quod ab alia manu antiqua in cod. L additum est, omisso et *ἔλυσεν* pro *ἔλυσε* restituto metrum optime se habet; Phil. v. 795, quem supra adscripsimus, articulus *τόν*, quem ex similitudine versus 1114: *τὸν ἴσον χρόνον ἐμὰς λαχόντ' ἀνίας* in textum falso translatum esse verisimile est, delendus est; postremo Trach. v. 879:

*σχετλιώτατα πρὸς γε πρᾶξιν. — εἰπέ τῷ μόρῳ*

*σχετλιώτατα* ex glossemate margini adscripto in textum irrepsisse recte vidit Heimsoeth, qui, rectissime proposuit *δεινότετα*, quod, et si metrum (cfs. Oed. C. v. 458 *προστάτισι*



— — — | —, Phil. 999 οὐδέποτε, 1003 ξιλλάβειον) et si sensum spectas, optime quadrat. Alius versus, cuius in initio anapaestus duobus vocabulis compositus invenitur, legitur Ai. v. 571: μέγχις οὐ μνηχὸς κίχουσι τοῦ κάτω θεοῦ. Recte iam Elmsleius versum ut spurium delevit, quippe qui ut subditivum εἰσαί versus antecedentis explicaretur, interpolatus sit. Pro εἰσαί autem cum Blaydesio ἀντ' ἐμοῦ ex scholiis haustum, ubi legitur: ἔτι ἀντ' αὐτοῦ γηροβοσκὸς αὐτοῖς καταλείπεται, scribendum esse videtur.

Quo modo autem in singulas fabulas et in singulos pedes solutiones sint distributae, breviter hic adnotare placet:

|        | Ant. | El. | Ai. | Trach. | Oed. C. | Oed. R. | Phil. |
|--------|------|-----|-----|--------|---------|---------|-------|
| tribr. | 23   | 29  | 33  | 20     | 36      | 39      | 56    |
| dact.  | 13   | 15  | 33  | 34     | 31      | 40      | 55    |
| anap.  | 6    | 8   | 8   | 12     | 16      | 10      | 18    |
|        | 42   | 52  | 74  | 66     | 83      | 89      | 129   |

Animum advertas, quid intercedat discriminis inter Antigonom, quae inter priores poetae fabulas, et Philoctetam, quae inter postremas ponitur. In singulos autem pedes solutiones ita sunt distributae:

### I. tribrachys.

|              | vocabulum trisyllabum tribrachyn continens in pede |   |   |   |   | tribr. in vocabulo plures quam tres syll. continente |   |   |   |   | tribr. in duo voc. distributus — — — |   |   |    |   | tribr. in tria voc. distributus — — — |   |   |   |   | summa |
|--------------|--|---|---|---|---|--|---|---|---|---|--------------------------------------|---|---|----|---|---------------------------------------|---|---|---|---|-------|
|              | 1  | 2 | 3 | 4 | 5 | 1  | 2 | 3 | 4 | 5 | 1                                    | 2 | 3 | 4  | 5 | 1                                     | 2 | 3 | 4 | 5 |       |
| 1) Aias      | 3  | — | — | — | 1 | —  | — | — | — | — | 3                                    | 7 | 7 | 11 | — | —                                     | — | — | 1 | — | 33    |
| 2) Antig.    | 7  | — | — | — | — | 1  | 1 | — | — | — | —                                    | 1 | 4 | 6  | — | —                                     | — | — | 1 | 1 | 23    |
| 3) Oed. R.   | 13   | — | — | 1 | 1 | 1  | — | 1 | — | — | 1                                    | 2 | 9 | 6  | 1 | —                                     | — | — | 1 | 1 | 39    |
| 4) Oed. Col. | 8  | — | — | — | — | —  | — | — | 2 | — | —                                    | 7 | 5 | 9  | — | —                                     | — | 1 | 3 | 1 | 36    |
| 5) Elect.    | 8  | — | 1 | — | — | —  | — | — | — | 1 | —                                    | 6 | 2 | 11 | — | —                                     | — | — | — | — | 29    |
| 6) Trach.    | 5  | — | — | — | — | 1  | 1 | — | — | — | —                                    | 4 | 8 | —  | — | —                                     | — | 1 | — | — | 20    |
| 7) Phil.     | 12   | 2 | — | — | — | 3  | 2 | 1 | 1 | — | 3                                    | 9 | 7 | 10 | 2 | 1                                     | — | 3 | — | — | 56    |

236

### II. dactylus.

|            | vocab. trisyll. dactyl. contin. | vocabul. plures quam tres syll. contin. |   | dactyl. in duo voc. distributus — — — |    | dact. in tria voc. distributus — — — in 3 | summa |
|------------|---------------------------------|---|---|---------------------------------------|----|---|-------|
|            |                                 | 1                                       | 3 | 1                                     | 3  |   |       |
| 1) Aias    | 2                               | 1                                       | 1 | 1                                     | 28 | —   | 33    |
| 2) Antig.  | —                               | —                                       | — | 1                                     | 12 | —   | 13    |
| 3) Oed. R. | —                               | —                                       | — | 2                                     | 31 | 7   | 40    |
| 4) Oed. C. | 1                               | 1                                       | — | 1                                     | 24 | 4   | 31    |
| 5) El.     | —                               | 1                                       | — | 1                                     | 13 | —   | 15    |
| 6) Trach.  | —                               | —                                       | — | 1                                     | 32 | 1   | 34    |
| 7) Phil.   | 1                               | 3                                       | 1 | 7                                     | 36 | 7   | 55    |

221

### III. anapaestus.

|            | in vocabulo trisyll. in primo tantum pede | in vocab. plures quam tres syll. continente |   |   |   | summa |
|------------|---|---|---|---|---|-------|
|            |   | 1   | 3 | 4 | 5 |       |
| 1) Aias    | 1   | 7   | — | — | — | 8     |
| 2) Antig.  | —   | 2   | — | — | 4 | 6     |
| 3) Oed. R. | 4   | 4   | — | — | 2 | 10    |
| 4) Oed. C. | 5   | 3   | 3 | 3 | 2 | 16    |
| 5) Electr. | 5   | 3   | — | — | — | 8     |
| 6) Trach.  | 8   | 2   | — | 1 | 1 | 12    |
| 7) Phil.   | 9   | 9   | — | — | — | 18    |

78

Reliquum est, ut de responsione, quae in trimetris observatur, pauca addam. Concinnitatem singulorum membrorum Graecis innatam non in aeneis tantum et marmoreis operibus sed in eis etiam, quae litteris mandantur, inveniri constat, neque in epicis tantum et lyricis sed etiam in tragicorum poematis; quamquam in ea re poeta non est premendus, neque ubique, quasi lex esset constituta, haec concinnitas in versuum numero quaerenda est (id quod Weil in Aeschyli tragoediis fecit.) Ad ea, quae de hac quaestione O. Ribbeck in commentatione: „Die symmetrische Composition in der antiken Poesie“ (Neues schweiz. Museum I p. 213 sq.) explicavit, pauca addere placet.

Atque illud primum est monendum, in quavis longiore, quae apud tragicos legitur, oratione singulas partes contineri, quas in oratione cum arte confecta inesse veteres iusserunt. Cuius rei ut exemplum afferam, sacerdotis orationem, quae in Oed. R. inde a versu 14 usque ad v. 57 legitur, quinque partibus constare nemo negabit, quarum prima, quae proemii locum tenet, incolarum supplicatio describitur (14—21), deinde secunda, quae est propositio rei, de qua agitur, quanta tota res publica calamitate sit profligata (22—30), tertia quae est captatio benevolentiae, sacerdos Oedipum praeclari illius facinoris admonet, quod Sphinge sublata Thebas maximo periculo liberaverat (31—39), quarta, quae est adhortatio, eum orat atque observat, ut tunc quoque, sicut olim, civitatem e pernicie servet (40—48), quinta postremo, quae contrarium continet, eum adhortatur, ut non solum incolarum calamitate afflictorum sed etiam sua ipsius causa auxilium ferat, ne in urbe hominibus carente regnatus sit (49—57). Quarum partium prima octo, omnes ceterae novenos versus continent (8+9+9+9+9). Simili modo omnes orationes in singulas partes distribui possunt.

Praeterea autem non pauca in dialogis exempla inveniuntur, ubi versuum numerum inter se respondere quin poeta voluerit, dubitari non potest, imprimis in eis trimetris, qui in melicis partibus leguntur. Ad ea, quae Ribbeck attulit, exempla accedere videntur: Ai. v. 915—924 = 961—973; namque v. 966—968 esse spurios recte vidit Dindorf, quod et ἡ ea, quam affert scholiasta, explicatione: „μᾶλλον ἐμοὶ μικρός τέθνηκεν, ἢπερ ἐκείνοις γλυκός“ ferri non potest vel, si ferri posset, nimis esset languidum, et quod in proximis verbis ad cogitationem: „Aiacem mortem expetitam sibi comparavisse“ exprimendam nimis magna copia verborum usurpata est, quam ut Sophoclem ea scripsisse putemus. Cur autem Nauckium secuti versus 969 et 970 eiciamus, esse non videtur, cum in eis nihil invenire possim, quo offendamur, et v. 971 πρὸς ταῦτα referendum sit ad v. 970: θεοῖς τέθνηκεν οὗτος, οὐ κείνοισιν, οὔ. Versibus 966—968 igitur deletis v. 961—973 respondent versibus 915—924, i. e. v. 925—973 = v. 879—924. Accedit id similitudinis, ut et v. 915—924 et v. 961—973 in bis quinos versus distribuantur, et ut posterior pars in utroque loco interrogationem in primo versu exhibeat v. 920. 969.

Neque illud casu factum esse verisimile est, quod in huius fabulae initio duae stichomythiae inter Minervam et Ulysses habitae quinos denos versus continent; v. 36—50 = v. 74—88; atque in priore stichomythia Ulysses interrogat, Minerva respondet, in altera Minerva interrogat, respondet Ulysses. Orationes autem Ulyssis et Minervae, quae his stichomythiis antecedunt, si spectamus, in utraque narratio ipsa vicenos complectitur versus v. 14—33, 51—70; accedit, ut utraque narratio bis denos contineat versus et secundum iustas orationis partes ita sint institutae: oratio prior v. 14—32 in 4+3+3 | 5+5; altera v. 51—70 in 4+4+2 | 5+5. Priori Ulyssis orationi adiecti sunt duo versus 34. 35, quibus Ulysses iterum Minervam adloquitur, alteri tres versus 71—73, quibus Minerva Aiace e tentorio evocatt Sed cum hunc prologum summa cum arte ita constitutum esse videamus, ut et Ulyssis e.

Minervae orationes et stichomythiae accurate inter se respondeant, in orationum exitu hanc respensionem non turbatam esse verisimile est, praesertim cum paulo infra quoque post alteram stichomythiam v. 89.90 duobus versibus Minerva Διαцем appellet. Itaque v. 73:

*Αἴαντα φωνῶ· στείχε δωμάτων πάρος*

eiciendum censeo, ita ut versibus 34.35 respondeant versus 71.72 et infra v. 89.90, et in universum v. 14—50 = 51—88; namque versus 73 ad sensum plane est supervacaneus post antecedentia: *σέ . . προσμολεῖν καλῶ*. Ab interpolatore ex similitudine Phil. v. 1261:

*σὺ δ', ὦ Ποίαντος παῖ, Φιλοκτίτην λέγω, ἔξελθε.*

factus esse videtur. Praeterea an *πάρος* in dubitationem sit vocanda nescio, namque loci significatione huius vocabuli neque Homerus neque Aeschylus usquam usi sunt; apud Sophoclem praeter hunc locum semel tantum eam localem, ut ita dicam, vim admissam videmus in El. v. 1502: *σοὶ βαδιστέον πάρος*; ter legitur apud Euripidem: Hec. 1049 *ὄψει νιν ἀντίξ' ὄντα δωμάτων πάρος*, Orest. 112 *ὦ τέκνον ἔξελθε . . δόμων πάρος*, Andr. 573 *τῶν σῶν πάρος πίνουσα γονάτων*. Vulgo enim *πάρος* temporis significationem habet et ita quidem, ut vel adverbium sit vel praepositio; hinc de rebus quoque dicitur, quae aliis rebus praeferuntur cfs. Oed. Col. 418; praeterea Trach. 724.

Huic loco addi possunt Ant. v. 1244 sq. Postquam nuntius v. 1243 narrationem de Antigoniae et Haemonis morte finivit, Eurydice cum silentio in aedes subito rediit; cuius rei admirationem chorus duobus insequentibus versibus (1244.1245) postquam expressit, nuntius, qui et ipse reginae habitum miratur, eam pro dignitate sua regia non coram populo lacrimas profundere velle ratus intus cum ancillis gemitum sublaturam esse putat; sequuntur iterum duo chori versus, quibus ex reginae silentio aliquid mali se timere chorus pronuntiat, quo timore nuntius quoque captus (v. 1253—56) reginam secutus in domum intrat. Quo in loco offendit versus 1250:

*γνώμης γὰρ οὐκ ἄπειρος, ὥσθ' ἁμαρτάνειν,*

quam Dindorf primus in dubitationem vocavit; recte enim Nauck de eo versu dicit: „der Ausdruck *γνώμης ἄπειρος* ist unverständlich; statt *ἄπειρος* sollte ein Begriff wie *ἄμοιρος* stehen. Das Verbum *ἁμαρτάνειν* ist unbestimmt und nichtssagend; dem Zusammenhange entspräche *ὥστε ἀπρεπές τι ποιεῖν*.“ Exstat autem altera causa, qua commoti versum spurium putemus. Nuntius enim hos versus 1246—1250 pronuntians nondum timore affectus est, ne regina ipsa manum sibi inferat; chorus duobus versibus insequentibus primus de eo timore verba facit, quae tum nuntio probantur. Itaque quin v. 1150 eiciendus sit, dubitari non potest. Totus locus hoc modo pulcherrime se habet, cum choro bis deni, nuntio bis quaterni versus tribuantur.



## INDEX LIBELLI.

---

|   | vv.              | pag. |
|---|------------------|------|
| Ai.   | 73 . . . . .     | 26   |
|   | 133 . . . . .    | 5    |
|   | 192 . . . . .    | 13   |
|   | 196 sq. . . . .  | 3    |
|   | 257 . . . . .    | 5    |
|   | 300 . . . . .    | 22   |
|   | 706 . . . . .    | 23   |
|   | 1074 . . . . .   | 13   |
|   | 1083 . . . . .   | 12   |
| Ant.  | 99 . . . . .     | 5    |
|   | 175 sq. . . . .  | 7    |
|   | 350 . . . . .    | 7    |
|   | 607 . . . . .    | 9    |
|   | 613 . . . . .    | 9    |
| Oed. R.   | 2 . . . . .      | 14   |
|   | 62 sq. . . . .   | 10   |
|   | 82 . . . . .     | 15   |
|   | 87 sq. . . . .   | 16   |
|   | 116 sq. . . . .  | 16   |
|   | 155 sq. . . . .  | 17   |
|   | 159 . . . . .    | 18   |
|   | 198 sq. . . . .  | 18   |
|   | 211 . . . . .    | 15   |
|   | 356 . . . . .    | 13   |
| El.   | 184 . . . . .    | 19   |
|   | 467 . . . . .    | 12   |
|   | 1081 sq. . . . . | 20   |
| Trach.  | 879 . . . . .    | 23   |
| Phil.   | 795 . . . . .    | 22   |
| de Stobaei auctoritate in Soph. verbis laudatis . . . . . |                  | 10   |
| de solutionibus . . . . .                                 |                  | 22   |
| de responsione . . . . .                                  |                  | 25   |

---

# INDEX LIBELLI

|     |  |     |    |
|-----|--|-----|----|
| 20  |  | 173 | AT |
| 21  |  | 174 |    |
| 22  |  | 175 |    |
| 23  |  | 176 |    |
| 24  |  | 177 |    |
| 25  |  | 178 |    |
| 26  |  | 179 |    |
| 27  |  | 180 |    |
| 28  |  | 181 |    |
| 29  |  | 182 |    |
| 30  |  | 183 |    |
| 31  |  | 184 |    |
| 32  |  | 185 |    |
| 33  |  | 186 |    |
| 34  |  | 187 |    |
| 35  |  | 188 |    |
| 36  |  | 189 |    |
| 37  |  | 190 |    |
| 38  |  | 191 |    |
| 39  |  | 192 |    |
| 40  |  | 193 |    |
| 41  |  | 194 |    |
| 42  |  | 195 |    |
| 43  |  | 196 |    |
| 44  |  | 197 |    |
| 45  |  | 198 |    |
| 46  |  | 199 |    |
| 47  |  | 200 |    |
| 48  |  | 201 |    |
| 49  |  | 202 |    |
| 50  |  | 203 |    |
| 51  |  | 204 |    |
| 52  |  | 205 |    |
| 53  |  | 206 |    |
| 54  |  | 207 |    |
| 55  |  | 208 |    |
| 56  |  | 209 |    |
| 57  |  | 210 |    |
| 58  |  | 211 |    |
| 59  |  | 212 |    |
| 60  |  | 213 |    |
| 61  |  | 214 |    |
| 62  |  | 215 |    |
| 63  |  | 216 |    |
| 64  |  | 217 |    |
| 65  |  | 218 |    |
| 66  |  | 219 |    |
| 67  |  | 220 |    |
| 68  |  | 221 |    |
| 69  |  | 222 |    |
| 70  |  | 223 |    |
| 71  |  | 224 |    |
| 72  |  | 225 |    |
| 73  |  | 226 |    |
| 74  |  | 227 |    |
| 75  |  | 228 |    |
| 76  |  | 229 |    |
| 77  |  | 230 |    |
| 78  |  | 231 |    |
| 79  |  | 232 |    |
| 80  |  | 233 |    |
| 81  |  | 234 |    |
| 82  |  | 235 |    |
| 83  |  | 236 |    |
| 84  |  | 237 |    |
| 85  |  | 238 |    |
| 86  |  | 239 |    |
| 87  |  | 240 |    |
| 88  |  | 241 |    |
| 89  |  | 242 |    |
| 90  |  | 243 |    |
| 91  |  | 244 |    |
| 92  |  | 245 |    |
| 93  |  | 246 |    |
| 94  |  | 247 |    |
| 95  |  | 248 |    |
| 96  |  | 249 |    |
| 97  |  | 250 |    |
| 98  |  | 251 |    |
| 99  |  | 252 |    |
| 100 |  | 253 |    |

